

ex marmore
In Museo Obiciano

ANTONII MUSÆ

QUI

AUGUSTI CÆSARIS

MEDICUS FUIT

FRAGMENTA QUÆ EXTANT

Collegit nunc primum, præfatus est, commentarios, & notulas addidit

FLORIANUS CALDANI

REG. SCIENT. ACADEM. TAURIN. GOTTINGEN. PATAVIN. INSTIT. BONONIEN. SOCIUS.

BASSANI MDCCC.

APUD JOSEPHUM REMONDINI ET FILIOS

CUM R. PERMISSIONE.



NOBILISSIMO VIRO

THOMÆ DE OBICIIS

AUSTRIÆ, BOHEMIÆ, LUCÆ, FLORENTIÆ
PATRICIO,
EX HUNGARIÆ MAGNATIBUS,
NOBILI LIBURNICO, BONON. MUTIN. FERRAR. ec.
ORCIANI ET S. R. I. MARCHIONI,
ec. ec. ec.

FLORIANUS CALDANI.

PLURIMA sane tunc mihi in mentem venerant, VIR NOBILISSIME AC PRÆSTANTISSIME, cum abs TE id rogavi,

ut opusculum hoc qualecumque, quod eram editurus, Tuo nomine sineres insigniri. Præter enim quam quod eruditum virum, atque optimarum artium cultorem, fautorem, patronum opusculum ipsum exposcere videbatur; illud etiam accedit, quod jamdiu obsequio in Te & observantia cum omnibus certabam, quin tamen mecum ipse lætari possem, eam me in universo hominum conspectu posuisse. Quot enim in me Tua beneficia, quot merita! Tu, ut hoc primum memorem, avunculum meum Antonium Borsarium *plurimis abhinc annis adeo Tibi devin-*

xiſti, ne quis eo ſit devinctior alter: Tu me tam ſuaviter, tam officioſe, tam humaniter excipere dignatus es ſæpiſſime, ut Tui ipſius familiaris viderer. Imo, cum me antiquarum rerum ſtudio delectari perceperis, me tecto ſæpe invitas & domo; & Bibliothecam Tuam, & ampliſſimum Muſeum, quo Catajum *aſſidua cura & impenſis exornaſti, deliciis meis jubes inſervire. Valetudinem Tuam Tu mihi concredidiſti: neque mihi clauſa conſilia Tua: neque dulciſſimum amici nomen denegatum; quod animum eo magis titillat atque erigit,*

quo ex perantiqua ac nobilissima Stirpe natus & Avos ex annalium monumentis testes superbiter excitare posses, qui gloriam OBICIÆ *genti compararunt, & honoribus insolescere, ut apud nonnullos in more est, quibus* THOMAS, *quibus* PIUS ÆNEAS, *quibus* FERDINANDUS *Patruus magnus* TUUS, *quibus* TU *ipse condecoratus fuisti. Cum in his vero maximam sibi partem fortuna vindicet, ac veram gloriam in una virtute poni, & callidam virtutis indagatricem philosophiam esse* TIBI *persuaseris,* TU *Proavos* TUOS *omnes in virtute & philo-*

so-

sophia tum excolenda tum promovenda antecellis ; & Catajum, quo antea celsissimi Principes ad otium se & ad vitæ tranquillitatem convertebant, Musis, Tibi, solidæque philosophiæ consecrasti. Et revera dum Philosophi de optimo, & honesto divitiarum usu ita disputant, ut alii ad valetudinem & ad voluptatem tantummodo gignendam eas censeant comparatas, alii contra morum depravationem opibus referant; dum nonnulli se divites ideo putant, quia eam rerum satietatem atque abundantiam assequuti sunt, ut nihil sibi amplius deesse arbitrentur; Tu di-

vitias Tuas omnes ad ditandum animum Tuum, ad amicos erudiendos, ad juvañdos egenos, ad artium studiorumque incrementum contulisti: qua in re unusquisque bene cordatus vir Te & opulentiorem Cræso, & Philosophis omnibus sagaciorem merito existimabit. Eô siquidem labores Tuos omnes solum & semper spectasse certus scio, id unice expetebas, cum & in codicibus & in simulacris colligendis, & in nummaria cella locupletanda tempus, curas, operam, pecuniam impendebas. Nec aliorum usquam consiliis opus fuit. Tu falsum vero distin-

guis,

guis, Tu recens vetustiore, Tu futilia respuis, Tu in utilioribus totus moraris. Quod si ea admirabilitatem faciunt, quæ magna per se sunt, & præter opinionem, quis Te non suspiciet, quis maximis Te non efferet laudibus, cum in Ferdinandi Nepote philosophum, amicum, patronum boni omnes admirentur, diligant, venerentur?

Jure autem opusculum hoc Tibi erat inscribendum, Vir Nobilissime. Cum enim Vincentii Beninii *Autographum commentarium de* Antonio Musa *Augusti medico in amplissima Tua Bibliotheca collocarim, probatum Ti-*

bi

BI futurum fore intellexi, si collectis Musæ *fragmentis ipsummet Commentarium addidissem notis auctum atque emendatum. Quin ut aliquod opusculo decus accederet, AUGUSTI Imperatoris imaginem operi præire jussisti, quam perrarum Musei TUI marmoreum simulacrum præsefert: æquum enim & honestum TIBI visum fuit, fragmenta a me collecta Imperatoris illius imagine condecorari, cujus valetudini conservandæ præfuit* Musa, *& a quo tot in medicorum familiam honores promanarunt.*

Habes, VIR NOBILISSIME AC PRÆ-

STAN-

STANTISSIME, quot de rationibus opusculum hoc TUUM *eſse exoptavi. Quod si mancum id erit atque imperfectum,* TE *rogo atque obtestor, æqui bonique facias, ne* AUGUSTO *&* Musæ *potius, quam mihi, & humanitati* TUÆ *in judicando consuluiſse videaris.*

CANDIDIS
LECTORIBUS.

*V*INCENTIUS BENINIUS (de cujus vita studiisque quædam præfatus fui) cum adnotationes nonnullas ad *Celsi* medicinam collegisset, quas immortalis famæ Vir *Joannes Baptista Morgagnus* tanti existimavit, ut suis in *Cornelium* epistolis adnectere non dubitarit (*a*), *mirandum* sibi esse scripsit *Celsum Cornelium inter tot medicos ab eo laudatos nullam mentionem fecisse de Antonio Musa, medico & scriptis & nomine sui sæculi celeber-*

(*a*) Edit. Patav. 1750. 8. Tom. II. pag. 395.

berrimo, & *Asclepiadis*, *a quo Celsus non pauca decerpsit*, *sectatore*, *ut in meo* (sic ille) *de eodem Musa Commentariolo patebit (a)*. Quod Commentariolum cum docti homines longo annorum intervallo expectassent, spem omnem Auctoris obitus sustulit, quominus publici juris fieret. At felici sane eventu omnia quæ manu exarata *Beninii* supererant opera studiose persequutus fuit Conterraneus ejus eruditissimus *Aloysius Mabilius*, ne adversæ illius fortunæ ferrent injurias, quæ cum illustrium Virorum scriptis summam persæpe diem afferat, in causa est, ut eorum studia expectemus frustra, atque utilioribus eorum perquisitionibus inviti careamus. Pluries de hoc Commentariolo *Mabilius* mecum sermocinatus est, alte conquerens, mancum

(*a*) Ibid. pag. 407.

cum esse, atque in allatis Scriptorum auctoritatibus ideò infidum, quod ibi loci vitam *Beninius* degerat, in qua Bibliothecæ numerosiores desiderabantur, quibus is absque damno carere nequit, cui hujuscemodi studia deliciæ sunt atque oblectamento. Codicem mihi perlegendum *Aloysius* insuper tradidit; & cum ea omnia ibidem collecta & eleganti stylo disposita invenerim, quæ de Augusti medico ex Veterum historiis accepimus; cumque & medicis & antiquarum rerum diligentibus pergratum fore dictitassent quamplurimi, si eô *Beninii* opus perducerem, ut evulgari posset; omnes meas vires intendi, ut Commentarius hic, quoad per me fieri posset, ab oblivione politius vindicaretur. Historicorum hinc opera versare non destiti, ut quæ *Beninius* citaverat loca accuratius recognoscerem, falsa rejicerem, adderem quæ deficerent;

rent;

rent ; hinc eas disputationes , quas de *Musa* docti homines ediderunt (*a*) mihi perlegendas comparavi ; notulas hinc quasdam Commentario ad id potissimum adjeci, ne quæ *Beninius* ratione temporum ac librorum inopia ignorabat, ignorare me quis vitio verteret.

Ad finem vero labor hic jam properabat, cum docti me quidam Viri reprehenderunt, cur nempe tantum ope-

---

(*a*) Ludovici Chr. Crellii *Antonius Musa Augusti medicus observationibus varii generis illustratus*. Lipsiæ 1725. 4.

Antonius Musas Charecter, represented by Virgil *in the person of* Japis. *A dissertation by* F. Atterbury *late, Bishop of Rochester*. Vide Diarium, cui titulus: *La Bibliotheque Britannique. Tom. XV. Part. II. 1740. à l' Haye pagg. 377 -- 392.*

Chr. Rose *de Augusto contraria medicina curato*. Halæ 1741. 4.

De Antonio Musa Aug. Medico, & libris qui illi adscribuntur, Auctore Jo. Christ. Gott. Ackermann, *Prolusio*, Altorfii 1786. 4.

operis in *Beninii* Commentario impenderem, inique autem agerem cum AUGUSTI Medico, cujus Fragmenta (numquam seorsim edita) exoptabant ipsi summopere & emendata & una simul collecta? Nova igitur mihi accessit cura: & *Musæ* Epistolam ad *Mæcenatem*, & medicas quæ supersunt compositiones lubenter recensui, varia, ut appellant, lectione, notis, & observationibus exornavi; quæ sane præterquamquod veteris medicinæ monumentum veluti præbent, plura insuper medicinam facientibus utilia continent, quæ ab nostra memoria tot sæculorum decursu prorsus exciderunt. Et exciderunt sane jure nescio, an novitatis potius amore! Si Veteribus enim multiplex medicaminum farrago insimul coagmentata probabatur: minus ne redarguendi Neoterici sunt, qui iis spretis compositionibus, quæ tanto apud Veteres in honore propter

utilitatem fuerunt, novas remediorum formulas amarunt in medium adducere, quas si cum pollicitis utilitatibus expertus compares, iis non semper, neque omnino respondentes invenies?

Hæc ea sunt, candidi Lectores, quæ ad *Beninium*, *Mabilium*, ad me referenda puto: quanti autem hæc facienda sint, Vos facilius multo pro singulari vestra benignitate dijudicabitis.

VINCENTII BENINII
COLONIENSIS
DE ANTONIO MUSA
COMMENTARIUS

Ex MS. in OBICIANA Bibliotheca asservato

Nunc primum editus & notis exornatus præmissa Auctoris vita.

DE VITA, ET SCRIPTIS
VINCENTII BENINII
COLONIENSIS.

Coloniæ Venetorum ex honestis parentibus ortum habuit *Vincentius Beninius* anno hujus sæculi tertiodecimo (*a*). Cum ex oppido natalem ipse egerit diem, ne quis ideo existimet, humili eum loco natum, atque ad optimos viros gignendos impari; perinde ac notum omnibus perspectumque non sit, *Ulyssem* ex Ithaca, ex Arpino *Tullium*, ex humilioribus locis alios originem duxisse, qui nihilo minus & litteratissimi habiti sunt, omnique sapientiæ & gloriæ genere exornati. Quamvis enim neque eruditorum hominum in his locis consuetudine, neque præceptorum copia, neque librorum commodo, neque exemplo tandem ad sapientiam adipiscendam quisquam provocetur; innatâ tamen nonnulli appetendæ philo-

so-

(*a*) Die 24. Maji.

sophiæ cupiditate ducti, cum nihil in patria metuant, nihil angantur, nihil concupiscant (quod in magnis urbibus persæpe fieri quotidiana nos observatione docemur), solo philosophiæ alliciuntur studio, clarissimos viros ac optimis artibus institutos vita functos memoria revocant, epistolarum commercio cum aliis consuetudinem ineunt, omnia denique quæ sapientiæ acquirendæ favere putant atque inservire, cupiunt, expetunt, persequuntur.

Et re quidem vera quamplures ex his viris tulit Coloniæ oppidum, quod & situ loci & aeris salubritate sese quam maxime commendat. Resonat enim ubique inter litterarum cultores *Bernardini Rutilii* fama, qui a CAROLO V. Romanorum Imperatore aureo torque donatus, mox ad jus Civile in Avenionensi Academia profitendum accitus est, quanquam morte prærepto munus non licuerit obire. *Petri Pauli,* ac *Martii* ex eadem *Rutiliorum* familia nemo est quem lateant nomina: Juris ille doctrina atque humanioribus litteris celeberrimus; fama hic atque ingenii facultate adeo præstans, ut laurea nondum corona ipsi insignito, Civile jus publice tradendum Venetus Senatus novo exemplo mandaverit (*a*). Quid de *Joanne Pe-*

(*a*) Senatus enim consulto provisum fuerat, ne quis Universitatis exhedras conscenderet, quin laurea fuisset corona donatus.

Petro Crasso dicam, qui tantam Romæ ingenii sui, suæque doctrinæ famam excitarat, ut PAULUS III. Pontifex summus eum Viterbiensi Episcopatu condecoraverit? Quid tandem de cæteris? Extant siquidem apud literatos viros, & *Laurentii Pezzi*, & *Simeonis Zuccolo*, & utriusque *Sabloni* opera aut latino aut vulgari idiomate conscripta, & celebrata. Memoria extat jucundissima *Jacobi Facciolati*, de latinis literis, si quis alius, optime meriti, qui non tam Patavini Seminarii, cujus ipse studiis præerat, quam Universitatis ornamentum fuit, in qua & doctrinam ejus & eruditionem, & dicendi copiam ac suavitatem Cives, dum viveret, admirabantur. Is licet Tauriliæ in collibus Euganeis natus, Coloniensis dici voluit atque haberi, quod ad ejus oppidi laudem maxime facit.

Hos quidem pæne ab ortu sibi ob oculos posuisse videtur *Vincentius Beninius*, hos memorabat, hisce invidebat. Sed cum a pueris excessisset, tanto eum ingenio excellere Parentes cognoverunt, ut reprehensos se fore crediderint, si quos ex eo fructus uberrimos consequuta patria esset, arescentes potius eorum culpa deploraret. Hinc cum jam nullam prætermiserint curam, nilque intentatum reliquerint, ut humanioribus ipse litteris, & physices elementis institueretur, octodecimo ætatis anno Patavium miserunt (urbem eruditissimis sem-

per hominibus, liberalissimisque studiis affluentem), ut ea in arte sese exerceret, quæ cum cæteris utilitate antecellat, Patriæ, Civium, sui tandem bono consuleret.

Cum itaque ad medicinam addiscendam se contulisset *Beninius*, omnes intendit vires, ne quod in ea scientia esset utilius, se neglexisse videretur. Chemicis hinc ac physicis periculis intererat assidue, ut legibus, quæ humanum corpus, ad omnium rerum instar, regunt ac moderantur, informaretur: nosocomio numquam deerat, ne se morborum causæ, varietates, effectus, ac remediorum vires laterent: anatomicis præparationibus adeo delectabatur, ut tam impliciti horologii fabrum se evasurum cognosceret; neque ulla erat medicinæ pars, cui incumbendum sibi esse non arbitraretur, tum quia maximas ab ea utilitates se percepturum fore videbat; tum quia nullam artem esse existimabat, quæ a medicis Viris aut observatione quadam aut experimento ornata non fuerit ac veluti locupletata. Quod sane ab iis præsertim animadversum volo, qui medicam artem, ejusque cultores quotidie objurgantes, iis ipsis observationibus assidue utuntur, easque collaudant, quæ a medicis primum inventæ, auctæ, comprobatæ fuere. Quantum autem ipsi temporis a medicinæ studio supererat, cum se politioribus semper litteris abdidisset, tantum sibi ad hæc studia recolen-

colenda sumebat. Erat siquidem jucundus *Joanni Antonio Vulpio* (*a*) viro summo, ejusque fratribus: vivebat cum *Jacobo Facciolato*: a *Morgagno* & *Brunaccio* honorifice est habitus: audiebatur a *Lauro Quirino* optimarum artium cultore, cultorumque patrono. Quin immo amplissimum hunc Senatorem, *Fracastorii* poema *de Syphilide* italicis carminibus a *Beninio* redditum anno ætatis suæ decimonono, plausu prosequutum fuisse, atque adolescentis animum excitasse accepimus (*b*). Valeant igitur ii qui severiore semper vultu, tristique habitu medico esse incedendum putant, nec animum unquam graviore studio, ac dolenda ægrotorum imagine diu fatigatum honesto levamine, suavique etiam Musarum cantu recreandum esse ac relaxandum (*c*). Qua profecto doctrina cum eos ipsos summos Viros eruditos fuisse *Beninius* minime ignoraret, quos excellenti animo ac virtute, & moderatos & graves extitisse historiæ referunt, decorum sibi atque utile censuit, si litteræ, quas a pue-

(*a*) Vide adnotat. *in Catulli* Carm. XVII. pag. 62.

(*b*) Uti in Epistola nuncupatoria carminibus ipsis præmissa.

(*c*) *Explodendi sane illiberales & inhumani illi homines, qui liberalium artium & humanarum litterarum elegantiam a medicorum consortio ablegare non erubescunt. Illos humanitatis insectatores & feritatis sectatores quis ferat?* &c. Patinus in Oratione: *quod medicus debeat esse* πολυμαθής.

a pueris adamavit (*a*), animo laboribus curisque labefactato solatio essent atque oblectamento.

Medicis vero jam studiis confectis, doctorum hominum consuetudine tam incredibili *Vincentius* fruebatur cum voluptate, ut Patria minus, parentibus, amicis delectaretur. Qui tamen, cum illos ejus memoria, fama, desideriumque teneret, vix laurea redimitum corona in Patriam revocarunt (*b*), atque illum Civium suorum valetudini opera consilioque opitulari ac præesse decreverunt. Quid vero ab adolescente (cum vigesimum primum vix ætatis annum ageret) erat expectandum? Quid ab homine, qui litterarum magis studio ad id usque tempus incensus fuerat, quam ægrotorum salute, ac medicæ artis utilitate commotus? Cum hæc, aliaque ejusmodi ab invidis dictitari *Beninius* novisset; cumque eo munere ab honestis se Civibus exornatum videret, cujus dignitatem magnitudinemque satis animo percipiebat, maxima se alacritate medicinæ profitendæ tradidit, ut si quid in ea se versatum fuisse sentiebat, id totum quantumcumque fuisset, ipsis etiam adversariis probaretur. Neque honestos spes Cives, non amicos fefellit. Qui enim in Urbe celeberrima Hippocraticæ disci-

---

(*a*) Vide Epistolam nuncupatoriam præpositam ejus operi *Annotazioni sopra la coltivazione di Luigi Alamanni*.

(*b*) Anno 1734.

sciplinæ se totum devoverat, qui Celsianum opus ita in deliciis habuit, ut nulla esset dies, qua ejus accurata lectione careret, nullum inimicorum jurgiis locum reliquit. Pauperes siquidem morbis detentos libenti animo ac Christiana pietate sæpissime invisebat, nulla aut tempestatis aut suimetipsius habita ratione, simpliciori eos methodo quoad fieri posset propriis persæpe sumptibus persanabat, verborum comitate consolabatur. Iis nunquam sua defuit opera, cum quibus aliqua *Beninio* fuisset necessitudo, cum nil sibi jucundius accidere posse judicaret, nil desiderabilius, quam ut quos ipse aut amore aut existimatione prosequeretur, eosdem de se non tam verbis, quam diligentia studioque redderet certiores. Nec de locupletum ac matronarum valetudine minus erat sollicitus, quibus tamen remedia animo magis recreando quam sanitati restituendæ accommodata se comparare profitebatur; cum hoc ii sibi habeant persuasum, eâ se natura donari, ut odoræ tantum aquulæ, leniaque pharmaca a medico in eorum usum expetenda sint; amara autem, nauseam, dolores, æstum excitantia rudioribus hominibus suppeditanda. Infelix artis conditio! cui tamen ita *Beninius* indulsit, ut nunquam de se, deque artis ministerio esset cuiquam condolendum. Nam tanta erat oris ipsius verecundia, tanta mansuetudo, venustas, morumque suavitas, ut solatium ami-

micis præberet, ægris spem, & si qua per ipsum liceret, voluptatem.

Quare *Beninius* ratione hac conformationeque doctrinæ tantum sibi amorem conciliarat, ut expeterent eum boni omnes, diligerent, admirarentur; præsertim cum omnia mente assidue revolveret, quibus aut de Patria, aut de studiis posset promereri. Hinc *Repositorum* Academiam præterito ineunte sæculo Coloniæ institutam, sed fere jam hebescentem restauravit, eos in unum adolescentes cogendo, qui aut addiscendi cupiditate, aut dicendi ratione, aut alia quavis ingenii facultate sese commendabant. Hinc bibliothecam Græcis Latinisque operibus (*a*) refertissimam sibi amicisque ideo confecit, ut Patriæ in posterum esset ornamento. Hinc typographiæ domesticos inter parietes ædificandæ tempus, operam, nummos quamplurimos *non sine rerum suarum jactura aliqua* (*b*) impendit: quam certe animi magnitudinem patriæ tantummodo ac optimarum artium studio designatam fuisse ex eo maximopere conjicere fas est, quod nulla umquam lucri libidine illectus,

---

(*a*) *Aldi* præsertim celebratis omnibus editionibus colligendis operam dedit.

(*b*) In Epistola *ad Colonienses* Juri Municipali præposita.

ctus, opuscula tantum rariora, mole parva, a paucis expetita prælo committere amavit. Præter enim quam quod ipsius memoriæ gloria obversabatur, quam *Aldus*, *Stephanus*, cæterique viri eruditissimi suis typis & Patriæ & litteris compararunt; ejus auribus laus quotidie & fama personabat, quam *Vulpiorum* typographia characterum splendore, atque diligenti mendorum correctione adepta erat. Et hanc sane erga Patriam benevolentiæ significationem tunc vel maxime compertam *Beninius* fecit, cum *Jus Municipale* Coloniensium typis iterum vulgandum suscepit, ex quo noscerent omnes quibus se legibus cives ejus olim moderarentur, quotque fuissent privilegiis celebrati. Quod quidem opus si vetustam Coloniensium memoriæ gloriam revocabat, honos dubio procul ipsis accessit, cum illud editurus *Beninius*, ea addidit monumenta, ex quibus uberiores Patriam laudes percepturam existimavit.

Quod autem ipsi temporis ab amicorum ægrotorumque commodo concedebatur, rusticanæ vitæ excolendæ totum consecrabat, qua humanioribus se litteris majorem daturum operam pollicebatur. Dedit revera; & parem laboribus laudis honorem consequutus fuit. Cum enim in *Fracastorii* Syphilide, quam italis versibus ita reddiderat, ut exemplar pene exæquaret, accuratius expolienda versaretur, tanti *Vulpius* laborem hunc faciendum esse

pu-

putavit, ut cæteris omnibus Syphilidis versionibus judicaverit præstantiorem, atque in Cominiana *Fracastorii* editione primum (*a*) vulgaverit. Quam prælationem cum *Sebastianus de Antoniis* male habuisset, nonnullas protulit animadversiones, quibus invidiose potius quam critice *Beninii* versionem criminatus fuit (*b*). Cui *Sebastiani* Libello responsum *Beninium* fecisse accepimus (*c*), quin tamen inter ejus scripta *Mabilius* invenerit, qui & Commentarium *de Antonio Musa*, & documenta, mihi præbuit ad hanc summi viri historiam contexendam accommodata. Cum in veterum operibus & perlegendis & perscrutandis magna ipse voluptate afficeretur, plura sane in iis nactus est, quæ in unum collecta & comparata *Aloysii Alamanni* poemati de agrorum cultu illustrando possent inservire; atque hinc alteri edendo opusculo magna incubuit animi contentione (*d*). Quid vero

---

(*a*) 1739. 4. Volum. II. Iterum edita Coloniæ 1765. 8. Bononiæ 1765. 8.

(*b*) *Risposta di Sebastiano degli Antonj* ec. *ad una Lettera critica d' Autore Anonimo sopra il di lui volgarizzamento della Sifilide*. Vicenza 1740. 4.

(*c*) *La Minerva, ossia nuovo Giornale de' Letterati d' Italia*. Num. 47. pag. 171.

(*d*) *Annotazioni sopra la coltivazione di Luigi Alamanni* ec. Padova 1745.

ro de *Celsi* codicibus ab eo simul collatis dicendum est, in quibus cum obscuriora ejus loca contemplatus fuerit, utiliora persequutus, *Beninii* observationes suis nectere *Morgagnus* non est dedignatus (*a*)? Quid de consuetudine, quæ ipsi erat cum *Swietenio* (*b*), *Maffeio*, *Morgagno*, *Vulpiis*, *Facciolato*, aliisque, quibuscum commune quoddam exercuit ille studiorum commercium?

Erat autem ipsi memoria summa. Diligentissimus enim investigator antiquitatis, innumeris Auctorum sententiis opuscula ditavit, ut cuique videre fas est; & certiores nos quidem facti sumus, cum Commentarium prima vice perlegimus *de Antonio Musa*, in quo nulla aut perpauca sane in calce allata erant Scriptorum loca, quos in Commentario citaverat, quæque addidisset profecto, si edendo ipse Opusculo præfuisset. Neque minus in verbis & eligendis, & collocandis præstitit elegantia: præter enim quam quod ingenii ipsius lumen est eloquentia, tantum *Beninius* studii in optimis operibus perlegendis atque imitandis adhibuit, ut naturâ fere esset illi unctior quædam splendidiorque

(*a*) *A. Celsus Cornel. & Q. Serenus Samonicus de Medicina*. Tom. II. Patavii 1750. ad pag. 395. & seqq.

(*b*) Quod accepimus ab Oratione Coloniæ habita, cum *Repositorum* Academia *Beninii* interitum mœrore est prosequuta.

que consuetudo scribendi; quæ revera & in poematibus ejus delectat dulcissime conscriptis (*a*), & in *Musæ* Commentariolo, & in epistolis, præfationibus, notulis; quæ omnia claris Viris adeo probabantur, ut optimi Scriptoris laudem consecutus sit. Haud enim ei satis unquam fuit Auctorum quæ extant testimonia colligere ad eorum præsertim promerita spectantia, quorum ipse opuscula prælo subjicere cogitabat; sed nuncupatoriis sæpe epistolis, sæpe notis ipsamet auxit opuscula. In quibus edendis tanta vigilantia usus est, ut o-

---

(*a*) Inter poemata, quæ nobiscum communicavit *Mabilius Beninii* Conterraneus hoc seligendum putavimus, ut de Scriptoris venustate Lectores dijudicent:

„ *Quantunque volte avvien, donna gentile,*
„ *Ch' io volga gli occhi al divin vostro aspetto,*
„ *A quell' esempio di beltà perfetto*
„ *Che rende ogni aspro e fero ingegno umile;*
„ *Tosto 'l desio, com' è l' usato stile,*
„ *Raccende e avviva dolcemente al petto*
„ *Le prime fiamme, e un nuovo ardente affetto*
„ *Si desta, a cui non è par nè simile.*
„ *Indi contempla il viso a parte a parte,*
„ *E 'l labbro, che i soavi accenti forma,*
„ *Gli occhi, e le treccie di fin' oro sparte;*
„ *E manda al cor quella sì vaga forma,*
„ *Che tal s' imprime in lui, che mai non parte,*
„ *O ch' io parli, o che pensi, o vegli, o dorma.*

omnem posuerit operam, ne *Vulpiorum* accuratissimæ editiones suam antecellerent in corrigendis erroribus diligentiam.

Et re quidem vera præter memoratum *Jus Municipale*, edidit ipse *Joannis Cottæ Ligniacensis Carmina elegantissima* (*a*), & carmina pariter *Hyppoliti Bevilacqua* (*b*). Fratrum *Buonaccorsi* poemata notulis & observationibus illustravit (*c*). *Joannis Petri Crassi* omnia quæ extant collegit simul, & Auctoris vita & testimoniis adjectis evulganda paraverat; at posthumum opus in lucem *Joannes* filius perduxit (*d*).

Majora vero moliebatur *Beninius*; & Patriæ, familiæ, amicis novo in dies benevolentiæ argumento studere meditabatur. Quot enim & quanta expectare ab eo Patria potuisset, si instituta Typographia eam consequuta esset celebritatem, ad quam *Be-*

(*a*) 1760. 8.

(*b*) *Alcune Composizioni poetiche del Padre Ippolito Bevilacqua*. 1761. 8. *Dialogo tra S. Filippo Neri e S. Felice Cappuccino* dello stesso 1763. 8.

(*c*) *Le rime de' due Buonaccorsi da Montemagno. Quinta edizione notabilmente illustrata*. 1762. 8. Edidit quoque hoc anno opusculum correctione maxime commendatum, cui titulus: *Nuovo Salterio*. 8. tum & Carmina *Jo. Baptistæ Sabloni*. 4.

(*d*) *Jo. Petri Crassi Coloniensis Viterbii Episcopi quæ apud nos extant*. 1765. 8.

Beninius ipsam evehere cogitabat! Quodnam insuper litteris lumen accessisset, si aut inceptis poematibus, aut animadversionibus in *Tibullum, Catullum*, ac *Propertium*, quas jam fuerat pollicitus (*b*), aut Commentario tandem *de Antonio Musa* AUGUSTI CÆSARIS medico perficiendis atque edendis incubuisset! Ipsius autem vota, Patriæ spem, amicorum oblectamentum una abstulit dies (*c*); cum quinquagesimo primo ætatis anno, morbo correptus, triste nobis sapientiæ ac laborum suorum desiderium reliquit. Cujus obitum quanto cum mœrore boni viri sint prosequuti, ex eo facile intelligit unusquisque, si pauperibus medicum & patronum, amicis amicum, & solamen, Patriæ decus & ornamentum defuisse consideret. Et Academia inprimis *Repositorum* publicam concionem laudibus tanti Viri dicatam voluit, non tam quod optime de ea *Beninius* fuerit promeritus, quam quod ejus interitu suimet dignitatem diminutam jure pertimescebat.

Dolentem uxorem (*a*) reliquit, & inter filios *Joannem* præsertim, cujus institutioni nec curis nec la-

---

(*b*) Vide quæ *Beninius* præfatus fuerat in allato opusculo: *Le rime de' due Buonaccorsi*, ec.

(*c*) 24. Novembris 1764.

(*a*) *Virginiam Licini* Vicetiæ natam, quam anno duxerat hujus sæculi quadragesimo tertio.

laboribus *Vincentius* pepercit . Nec incassum quidem . Medicinâ enim excultum Paterno munere Cives ejus exornarunt, ut dulcem Parentis memoriam in Filio excolere possent ac venerari.

Hæc habui, quæ de *Vincentii Beninii* vita & scriptis colligere mihi datum fuit . Alias, si fata ferant, ejus edendis poematibus operam dabimus; interim quid de ejus operibus docti Viri senserint, ex Auctorum testimoniis, quæ protinus addam, quisque aperte cognoscet.

DE

VINCENTIO BENINIO

TESTIMONIA

JO. ANTONIUS VULPIUS

In adnotat. ad *Catulli Carm.* XVII. pag. 62.

Hoc etiam tempore (1737.) lectissimis adolescentibus Colonia floret, litterarum scientia & eloquendi elegantia perpolitis. Ex his duos, de me præclare meritos, reticere non possum, *Jo. Baptistam Sabbionium*, & *Vincentium Beninium*; quorum unus Princeps Academiæ Repositorum, in poetarum & oratorum studiis magna cum laude versatur; alter Syphilidem, poema celeberrimum Hieronymi Fracastorii, etruscis carminibus reddidit; quod opus propediem, ut spero, e typographia Cominiana prodibit.

Idem in *Hieronymi Fracastorii Veronensis*, *Adami Fumani* &c. *Carminum edit. secunda*. Patav. 1739. 4. Tom. II.

Questa si dee computare come la seconda in ordine, se si ha riguardo alle parole del Traduttore a S. E. Lauro Querini Senatore, nella dedica a lui

fattane a' 12. d'Ottobre 1737. ove dice: *sempre scolpita io porto nell' animo l' incredibile umanità, con cui Ella degnossi di compiacersene da cinque anni* (cioè nell' Ottobre 1732.) *ch' io gliela lessi* (*a*). Comparisce in primo luogo nell' Appendice del II. Volume di questa nostra edizione, la quale se non sarà la più applaudita, sarà certamente, come speriamo, la più fortunata, dovendo essere portata per necessità da per tutto, sulle stesse ali della fama del Fracastoro, del Fumano, e del Conte d' Arco, per ritrovarsi unita a' versi immortali di così gran Poeti.

Della Sifilide ovvero del morbo gallico di Girolamo Fracastoro Libri III. volgarizzati da Vincenzo Benini Colognese. Bologna 1765. In præfatione ad pag. XII.

Nobile, e meravigliosa oltremodo è la traduzione della Sifilide, di cui ne siam debitori all' eruditissimo Vincenzo Benini Colognese Dottore di Filosofia e Medicina; imperocchè senza dubbio questa può gareggiare con quella del Commendatore Annibal Caro, che s' investì dello spirito di Virgilio nel volgarizzamento dell' Eneide, con quella di Alessandro Marchetti, che dalle toscane muse fece con egual

(*a*) Semel tantum Syphilidem vertit *Beninius*, idest ante annum 1732. dum studiorum causa Patavii morabatur & cum *Quirino* communicavit. Multum autem sibi temporis impendendum esse putavit, quominus improbata evulgaretur.

egual maestà ricantare gl' insegnamenti di Lucrezio, e con quella del Cardinal Bentivoglio, che nascosto sotto il nome di *Selvaggio Porpora* superò di gran lunga l' autore istesso della Tebaide: e perciò fu scelta dal Chiarissimo Gio. Antonio Volpi nell' ultima edizione Cominiana fra le molte, che in poco tempo in diversi luoghi furono pubblicate, avendola giudicata più meritevole dell' altre; nè mi sembra difficile investigarne i motivi, quando vi sia chi voglia prendersi la pena di leggere le traduzioni di Pietro Belli nobile Leccese, di Sebastiano degli Antonj Accademico Olimpico di Vicenza, e di Antonio Tirabosco Veronese, le quali sebbene di molto pregio, non sono però della medesima bellezza (*a*).

Nova Acta Eruditorum Anno MDCCXLV. publicata. Lipsiæ 1745. *pag.* 461.

Quædam tamen adhuc restant, quæ in *Appendice* ad eandem a Cel. Vulpio adjecta sunt. Primo loco comparet *Della Sifilide del Fracastoro Libri tre, vulgarizzati da Vincenzo Benini Cologne̕se*. Qui Beninus, ut est vir eruditissimus, hanc metaphrasin, pro suo, quo in Cel. Editorem fertur, amore, prom-

(*a*) Video aliam hujus versionis editionem hic in medium adduci anno peractam 1737. Error sane, quem sequutus etiam fuit Auctor Diarii, cui titulus: *Osservazioni Letterarie che possono servir di continuazione al Giornale de' Letterati d' Italia.* Tom. V. pag. 239.

promte communicavit. Et, quamvis variæ sint editæ Syphilidis Fracastorianæ versiones italicæ, recte tamen credit Vulpius, transferri huc posse, quod de Homero & Virgilio Macrobius ait: *quid suavius est, quam duos præcipuos vates audire, idem loquentes?* Optime enim Beninus Fracastorum convertit.

Joannes Maria Mazzucchelli in *Vita di Luigi Alamanni*. Verona 1745. pag. 56.

Questa noi apprendiamo essere stata ultimamente illustrata con erudite annotazioni da due illustri Letterati viventi, cioè a dire dal Sig. Dottor Giuseppe Bianchini da Prato, della cui opera un esemplare manoscritto si conserva presso il P. Girolamo Lombardi Gesuita, alla cui erudizione e gentilezza molto dee questa nostra fatica, e dal Sig. Vincenzio Benini Colognese, la cui opera trovasi manoscritta in Padova presso i suddetti Signori Fratelli Volpi.

Joannis Baptistæ Sabbioni ad Vincentium Beninium Epigramma (*a*).

Ligniacas arces, nova flumina, docta theatra
Sideream ad sedem surgere Cotta videns:
Eja age, Vincenti, nostra, inquit, carmina profer;
Profer; sic certet gloria prisca novæ.

Jo.

(*a*) Legitur in editione Coloniensi Carminum *Joannis Cottæ*.

Jo. Baptista Morgagnus in Editione *Celsi* Patavii peracta anno 1750. pag. 397.

Novæ huic Cornelii Celsi Editioni manus extrema jam accedebat, cum Typographus noster rescivit, Vincentium Beninium Coloniensem, virum doctum, qui apud cives suos medicinam facit, nonnullas observationes in hunc Auctorem a se scriptas, ad Cajetanum Vulpium misisse, pro ea quæ inter ipsos intercedit amicitia. Petiit igitur a nobis, si operæ pretium esset, ut edi sineremus; atque impetravit. Eas igitur proferimus, candidi Lectores, neque dubitamus, quin gratæ vobis, & studiis vestris utiles futuræ sint. Valete, ac munusculum hoc nostrum æqui bonique consulite.

De *Beninio*, ejusque operibus ac Typographia optime loquuti ,sunt Auctores Diarii, cui titulus: *la minerva o sia nuovo giornale de' Letterati d' Italia* Numm. XIV. pag. 113. seqq. XXI. pag. 256. seqq. XLVII. pag. 167. seqq. De ejus Vita & obitu nonnihil memorarunt etiam Auctores Diarii: *La Biblioteca moderna per il dì* 12. *dell' anno* 1765. ubi tamen tribuitur ipsi vita *Jo. Petri Crassi* quam *Beninius*, *Crassi* quæ extant editurus, e Commentario *Jo. Baptistæ Sabloni* Coloniensis transtulit, qui legitur in Tom. XIV. Collect. Calloger. Venetiis edita 1736. pag. 3. & seqq.

Quæ adnotationes in BENINII *Commentario Litteris* a, b, c *indicantur ad Autographum spectant, ab editore tantum emendatæ; secus ac illæ, quæ arabicas notas exhibent 1. 2. 3. &c.*

VINCENTII BENINII

DE

ANTONIO MUSA

AD

JOANNEM SABLONUM DE SPINGARDIS

COLONIENSEM.

Cum tu, Fraterque tuus *Joannes Baptista*, reficiendi animi causa, assiduis lucubrationibus litterarum distenti in prædiolum meum Divi Felicis convenissetis, atque ibi paullisper morati de *Antonio Musa* inter nos sermo forte incidisset, jam tum subiit ipsius monumenta ad te mittere, quæ diligenter quæsita a me colligi potuerunt. Idque lubentius effeci, non solum ut testimonium amoris erga te mei, verum etiam ut præclarissimi Viri memoria aliquanto latius pateret. Etenim inveni adhuc neminem, qui cuncta simul congesserit; sed pauci de eo quidem multa, multi autem pauca solummodo, ac fere ex *Dione*, *Svetonio*, *Plinio*que desumpta perstrinxerunt. Accedit ad hoc & argumenti delectus, cujus duplex dos est: altera quæ ad rem Romanam paucula pertinentia amplectitur; altera quæ ad medicam. Quidquid id est,

æquo

æquo animo accipias etiam atque etiam rogo. Unus namque es mihi præ cunctis in hoc civium nostrorum cœtu, in quo rerum mearum judicium innititur, & quo ego potissimum duce ab ineunte adolescentia ad humaniora litterarum studia persequenda me contuli.

In primis igitur scire licet, plures, ut e *Galeni* commentariis videre est, qui Apollinis artibus imbuti floruerunt, *Antonios* extitisse. Nam præter *Musam*, quem sæpius in medium profert, *Antonium* quemdam Epicureum memorat (*a*), qui de subsidio adversus proprios affectus libellum conscripsit, & *Antonium* alterum herbarium *multa artis experientia clarum* (*b*), aliumque *Antonium* pharmacopolam (*c*), nisi *Antoninum* potius, quemadmodum alii interpretantur, eo in loco legère malueris. Neque vero ab re futurum puto hoc animadvertere, *Musæ* videlicet cognomentum peculiare Antoniæ, Pomponiæ, Æmiliæque gentis (1) fuisse, quod ut in bello paceque Reipublicæ ministeriis inter principes excelluit, ita etiam litteris no-

---

(*a*) Class. II. *de cognosc. curandisq. animi morbis*. cap. I.

(*b*) Class. V. *de compos. medicam. local.* Lib. II. cap. 2. & *de compos. medicamen. per genera*. Lib. VI. cap. 15.

(*c*) Ibid. *de compos. medicam. secund. locos*. Lib. IX. cap. 4.

(1) And. Schotti *Roman. antiquitat. electa* ad calcem *Antiq. Roman.* Jo. Rosini.

nobilissimum fuisse fatendum est: ut de *Musa* quodam *multi ingenii* Rhetore sileamus pluribus in locis a *Seneca* memorato (1).

Itaque quibus parentibus, quove loco hic noster originem duxerit, & quæ ejus prima fuerit institutio, incertum mihi omnino cognitu est. Natione vero Græcum fuisse cum fratre suo *Euphorbo*, de quo pauca postea dicemus, *Morerius* tradidit (*a*); quæ res vel ex eo facile conjicitur, quod plerique Medicorum, qui Romæ commorabantur, e Græcia illuc commigrabant. Id autem prætereundum non est modo *Antonium Musam* esse appellatum ut a plerisque, modo *Antonium* tantum, modo *Musam*.

Libertum fuisse, *Dio* testis (*b*). *Torrentius* (*c*), *Sanadonus* (*d*), aliique addunt Augusti: incompertum qua auctoritate. Sed tamen unde *Musæ* cogno-

(1) *Controvers.* Lib. V. Venet. 1675. pag. 618. *Musa rhetor, quem interdum soletis audire, licet Mela meus contrahat frontem, multum habuit ingenii.* Vide etiam Lib. III. pag. 561. ubi de *Musa* quodam incidit sermo.

(*a*) *Le grand Dictionnaire historique.* Paris (Venetiis) 1747. Tom. VI. pag. 362.

(*b*) *Hist. Rom.* Lib. LIII. circa finem. Francof. 1592. 8. pag. 517.

(*c*) In Horat. Epist. XV. Lib. I. pag. 683. Antuerpiæ 1608. 4.

(*d*) *Les Poesies d' Horace trad. en françois.* Tom. VI. *Remarq. sur l' Epitre XV.* liv. I. pag. 205.

gnomen in ancipiti est. Alii putarant inditum ob ingenii elegantiam: hoc enim nomen, inquit *Scaliger* (*a*), quibusdam libertis impositum a patronis fuisse facit illa inscriptio Romæ ante Portam Latinam:

MUSA
HOSPITIS LICINIANI
VIX. ANN. XXXV.

At vero dubitat *Reinesius*, uxorisne Hospitis Liciniani, qui vixit Tiberio imperante anno U.C. 779. fuerit Musæ nomen in Romana inscriptione positum, an liberti (1). Alii a Pomponia familia esse de-

---

(*a*) In adnotat. illius Catalecti *Virgilio* tributi quod incipit:
„ *Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ*.

(1) *Syntagma inscript. antiquar.* &c. Lipsiæ 1682. fol. pag. 841. Alibi autem *Musæ* nomen in inscriptionibus reperire facillime possumus, præter eam quam *Beninius* citavit. Siquidem in opere quod inscribitur: *Camere sepolcrali de' Liberti e Liberte di Livia Augusta e d' altri Cesari*. Roma 1731. fol. legimus

(Tab. XVI.) ONI / MVSAE L. / REGIANAE , & MODICO . LI , / MVSA .

tum (Tab. XXI.) IVLIA MVSA / PLOCAMI (Tab. XXV.) IVLIAE / MVSAE

(Tab. XXXIII.) ANTONIAE FELIX / MVSAE . PLEBI AGATHONIS

ut alia prætereeam quæ apud cæteros monumentorum collectores videre est.

deductum, quibus *Clericus* in suo disertissimo Opere de Medicinæ historia (*a*) consentire videtur. Aliquis divinare etiam posset ab Antonia, cui Musæ cognomen cum Pomponia commune erat, ut paullo ante adnotavimus, siquidem non solum cognomina libertorum, verum & nomina & prænomina etiam; *Sigonio* auctore (1), a gentilitiis patronorum nominibus sumebantur.

Medicorum ætatis suæ facile princeps (2) anno U. C. 709., ante Christum vero natum 41. Romæ floruit (*b*), eo scilicet ævo, quo, Republica ex omnibus præstantissima sub Octaviani Cæsaris auspiciis, cum stabat virtuti honos, ingenia ad singulas artes atque facultates plene cumulateque adipiscendas alliciebantur. Vidit namque admiratumque est Tullios, Virgilios, Terentios, Catullos, Livios, Ovidios, Tibullos, Vitruvios, Manilios, Propertios, aliosque quamplurimos (3). Sub ipsis etiam temporibus floruere clarissimi medici a *Pli-*

(*a*) *Hist. de la Medec.* Second. Part. Liv. I. chap. I. pag. 555.

(1) *De nominibus Romanor.* cap. III. in Græv. *Thesaur. Rom. antiq.* Tom. II. pag. 969 - 970. Vide & *Spanhemium* de præstantia & usu numism. antiquor. Tom. 2. pag. 76.

(2) *Clerc.* loc. cit. *de tous les medecins, qui ont vecu sous Auguste, le plus fameux c' a été Antonius Musa.*

(*b*) *Justus* in *Chronol. Medicor.*

(3) Vid. *Jo. Rhodii de ponder. & mensur. veter. medicor.* Accedit *Vita Celsi*. Hafniæ 1672. 4. pag. 48.

Plinio (1) præcipue memorati, *Calpetani*, *Cassii*, *Arruntii*, *Albutii*, *Rubrii*, qui in medicina facienda tanta cum utilitate, ac sui nominis gloria versati fuere, ut Romæ ducenta quinquaginta annua sestertia (hoc est, ut *Castellanus* (*a*) supputat, sex millia aureorum ducenti & quinquaginta) mercede fuerint apud principes consecuti. Verum ne valde a *Musa* discedam, cujus ipse sectator fuerit dicendum est. Sed prius sectas ipsas juvat recensere, ut quam ille potissimus illustraverit videamus.

Ergo medicinam in tres sectas fuisse diductam a *Galeno* (*b*) aliisque (*c*) percepimus. Alii nempe rationales, seu dogmatici appellabantur, magno *Hippocrate* auspice, quorum principes fuere *Diocles Carysticus*, *Praxagoras Cous*, *Chrysippus Sophista*, *Erasistratus* ex *Aristotelis* filia genitus. Alii em-

---

(1) *Histor. natural.* ex interpret. *Jo. Harduin.* Paris 1741. fol. Lib. XXIX. cap. V. Vide etiam Polydor. Vergil. *de rerum inventoribus*. Lugd. 1597. Lib. I. cap. XX. pag. 81. necnon *Heurnium* in opusc. cui titulus: *modus ratioque studendi eorum, qui medicinæ operam suam dicarunt*. Lugd. Batav. 1592. cap. I. pag. 584.

(*a*) In *Medicor. vit.*

(*b*) Isagocici libri *De optima secta*. cap. 7. *Ascripta introductio seu Medicus* cap. 3.

(*c*) Celsus in Præfat. & *Hieronym. Rubeus* in *annotation.* cart. 9. Venet. 1616.

empirici, nomine ab *empiria*, hoc est experientia deducto, quorum primus *Philinus Cous*, si *Galeno* (*a*), *Serapin* vero, si *Celso* (*b*) adstipulari malumus; fautoresque præcipue *Apollonius Antiochenus*, *Menodotus*. Alii denique methodici (*c*) (sic enim ipsi se nominarunt), hisque *Themison* Laodiceus Syrius præfuit, cujus sectam *Tessalus Trallianus* perfecit, eumque postea *Mneseus*, *Dyonisius*, *Proclus*, *Antipater* sequuti sunt. At *Isidorus* (*d*) rem altius perquirens, methodicorum quidem principem *Apollinem* facit, Empiricorum vero *Æsculapium*; ex quo patet has medicorum sectas esse antiquissimas.

Ac primi profecto in morbis apte curandis, rerum naturæ sibi cognitionem vindicantes, rationem ducem sequebantur, experientiamque admittebant. Alteri dogmaticorum hostes appellati (1), solo usu atque experientia fisi, convenientem ad accidentium concursus curationem præbentes, abditas rerum causas aspernabantur, neque adeo qualitates perquirebant remediorum, quibus semper in eodem

(*a*) *Ascripta introductio seu Medicus* cap. 4.

(*b*) Loc. cit.

(*c*) *Galen.* loc. cit.

(*d*) *Ætimol.* Lib. IV. cap. 4.

(1) *Galen. De diebus decretoriis* Lib. 2. cap. 7.

d

dem affectu utebantur. Methodici vero (1), ii scilicet, qui sex mensibus artem medicam se edocturos profitebantur, reducebant omnes particulares affectus ad duos, ad strictum nempe, & laxum seu fluentem; ideoque si corpus adstrictum erat, laxandum; si profluxio laborabat, comprimendum: si vitium mixtum habebat, occurrendum vehementiori malo putabant. Sed & Methodici & Empirici, tanquam hæresim professi, a *Galeno* culpantur (*a*).

Itaque ex iis qui ratione suffulti magna arti incrementa dederunt ætate Magni Pompej, mirum in modum sese extulit *Asclepiades* (2) Orator, philosophus, & Medicus summus, qui satis gloriæ habuisset, si *Ciceronis* tantum & medicus & amicus fuisset (3). Huic medendi rationem maxima ex par-

(1) Galen. *de dignosc. pulsibus* Lib. 1. cap. 1.

(*a*) *De arte curativa ad Glauconem* Lib. II. cap. 2.

(2) Cels. *de medicin.* Lib. I. ex recension. *Leon. Targæ* pag. 3. & Plinius *natural. histor.* Lib. VII. cap. 37. & Lib. XXVI. cap. 7.

(3) Cum *Beninius* hæc scripserat, typis adhuc *Cocchii Blanchinii* & *Blanconii* opuscula evulgata non erant. Si enim tradidit *Cicero* (*de Oratore* lib. I. §. 14.) *Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus*; plures in hac re deceptos fuisse memorati Auctores adnotarunt, ex eo potissimum quia minime adverterint a *Tullio* in ea concione loquentem *Lucium Crassum* inductum fuisse, qui *Asclepiade* medico & amico dum viveret

parte mutare placuit (1) quinque res maxime communium auxiliorum professus, abstinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, gestationes (*a*). Præterea blandimenta & lenocinia (*b*) commentus est ad ægrorum gratiam & jucunditatem: siquidem & balneorum consuetudinem fecit, primusque lectulos excogitavit suspensiles (*c*), quorum molli jactatione irritaretur, & obreperet somnus.

Hujus sectator Viri an *Musa* fuerit necne, *Plinii* locum perpendens *Clericus* ambigit (*d*). Ego, inquit, de hoc medico disserere potuissem, cum de *Asclepiadis* discipulis, quia videtur *Plinium* (*e*) eo in numero posuisse, ubi ait: *mutata & secta* quam

---

veret utebatur. Plura autem ad *Asclepiadis* vitam pertinentia collegimus, quæ a nemine fortasse animadversa hucusque fuerunt; eaque brevi, si otium erit, evulgabimus.

(1) *Celsus* loc. cit. *Plinius* autem & *Galenus* minus recte de hac mutatione senserunt, quin immo hæc apud *Rhodium* (*ad Scribon. Largum emendat. & notæ* §. LXXXIV. pag. 150.) perleguntur: *Asclepiadem dogmaticis accenset Galenus; sed contentionis adeo studiosum, ut omnia ferme priora dogmata lacessiverit, neque alicui prioris sæculi homini, immo nè Hippocrati quidem pepercerit.*

(*a*) Celsus Cap. XIV.

(*b*) Mercurial. *de arte gymnast.* Lib. I. cap. 10.

(*c*) Plin. Lib. XXVI. cap. 3.

(*d*) Loc. cit. pag. 555.

(*e*) Lib. XXIX. cap. 5.

quam postea Asclepiades, ut retulimus, invenerat. Auditor ejus Themison fuit, qui quæ inter initia scripsit, illo mox recedente a vita ad sua placita mutavit. Sed & illa Antonius Musa ejusdem auctoritate Divi Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat. Horum verborum sensus admodum implicatus est, præcipue in eo, quod ad *Musam* pertinet, id quod *Harduinum* (*a*) induxit, ut crederet post verbum *ejusdem* addi oportere aut intelligi *auditor*, ex quo pateat *Musam Asclepiadis* auditorem fuisse, quemadmodum & *Themison*. Hujus docti viri emendatio vera esse potest; verum ut res non plane constat, malui ambiguam derelinquere. Ita *Clericus*; at, ni fallor, temporis intervallo spectato quo *Asclepiades* fatis concessit, perdifficile sane videtur, *Antonium* ejus auditorem sexaginta sex circiter annis post Præceptoris obitum claruisse, cum scilicet Octaviani valetudini conservandæ suam navavit operam. Ex quo fortasse consilio *Lionardus a Capua* (1) *Themisonis* po-

(*a*) In Plin. Lib. XXIX. cap. 5.

(1) *Ragionamen.* V. pag. 248. Post *Beninium* etiam *Blanconus* in Epistolis suis politiore eruditione refertis, contra *Harduinum* & *Tiraboscum* idem prorsus sensit (*Lettere sopra A. Cornelio Celso*); id quod *Beninius* jam optimo sane consilio in suis ad *Celsum* adnotationibus (Edit. Patav. 1750. Tom.II. pag. 407.) adnotasse vidimus, ubi *Antonium Asclepiadis sectatorem* tantum appellavit.

potius quam *Asclepiadis* discipulum *Musam* fuisse existimavit.

Ut igitur *Asclepiadis* sectator *Musa* fuit, ita ex *Plinii* modo laudata auctoritate certissimum est, prosequitur *Clericus* (*a*), eumdem ab illa *Asclepiadis* alienam praxim habuisse, novamque rationem sectæ ab illa *Themisonis* discrepantem confecisse. Sed opus est animadvertere sectam, de qua loquitur *Plinius*, non ita longe lateque fuisse protensam, quam Methodica & Empirica, quæ duæ solæ revera sectæ vocari possunt; sectamque hic tantum significare aliquam differentiam, quæ inter *Musæ*, interque *Asclepiadis*, atque *Themisonis* placita erat; sed quæ aliarum systema præcipuarum sectarum omnino non destruit: aliter difficile foret, ut non ejus vestigium aliquod in Veterum libris inveniretur.

Ut res cumque sit, id negari minime potest, *Musam Antonium* se rectissime (*b*) in medicaminum experientia gessisse, meritoque inter eos numerandum, qui ab antiquioribus optime inventa tradiderunt, aliisque aucta locupletarunt (*c*). Porro

---

(*a*) Loc. citat.

(*b*) Galen. *de compos. medicam. per gener.* Lib. II. cap. 5. *de compos. medicam. sec. loc.* Lib. VII. cap. I.

(*c*) Galenus ibid. *Antonium Musam* celeberrimis aliis medicis adnumerat, ut *Petronio*, *Asclepiadi*, *Andromaco*, *Erasistrato*, *Critoni*, *Menecrati*.

ro quanta ejus nominis fama apud Romanos extiterit vel ex eo percipi potest, quod Viri principes ejus ope uti voluerunt. Nunc quæ in Octaviano præstiterit, expediam, ut quantum ex unius facti præstantia aliquando hominibus emolumentum eveniat; unusquisque per se ipsum facile cognoscat.

Anno igitur U. C. 731. (1) Octavianus Cæsar, Can-

---

(1) Critici quamplurimi, & *Blanconus* inter cæteros (loc. cit.) Augusti morbum & curationem ad annum referunt 731. eodem prorsus anno, quo *Marcellum* fatis concessisse ex multorum testimonio compertum habemus. *Sanadonus* pariter (*les Poesies d' Horace traduites en françois* Tom. VI. pag. 206.) ineunte anno 731. XV. Epistolam lib. I. ab *Horatio* scriptam fuisse opinatur, sex scilicet aut septem mensibus ante Augusti valetudinem, addens: *quelques mois aprés, le méme reméde, qui avoit sauvé Auguste, mit le jeune Marcellus dans le tombeau, & cet accident décrédita fort le médecin. Aprés cet exemple, il est à croire qu' Horace n' auroit pas voulu courir le méme risque; & c' est pour cela qu' il est tout naturel de dater cette lettre du commencement de* 731. Verum, ut quid in hac re sentiam libere dicam, *Sanadoni* opinio probari mihi prorsus nequit. Cum nulla enim tunc temporis Romæ de *Antonio* esset fama, cumque ea tantum post Augusti curationem percrebuerit, conjiciendum est *Horatium* Augusti familiarem obscuro medico valetudinem suam minime concredidisse. At si Marcellus statim post curatum Augustum interiit, eadem premit ratio, quominus *Antonio* se committeret *Flaccus*. *Antonium* ergo medici munere apud Augustum ante ann. 731. functum esse, necessario arbitramur, necnon Marcellum frigidis minime ablotum fuisse. Et

„ con-

Cantabria domita, adeo magna vi morbi decubuit, ut jam omnia, ita ut fato concessurus esset, disposuit (*a*). Quo vero genere morbi, videndum est. Vetus *Horatii* Scholiastes habet „ cum dolore „ arthritico laboraret, & ad summam maciem per„ ductus esset ". *Svetonius* (*b*) autem *distillationibus jecinore vitiato ad desperationem redactus;* quem locum *Svetonii* referens *Clericus* (*c*) ait „ post lon„ gam fluxionem ex vitio jecinoris laborasse ". Alter morbi rationem satis clare significat: *Svetonius* autem satis obscure; nisi tamen verbo hoc *distillationibus* pro humoribus ad articulos confluentibus usum fuisse credendum sit. Id quod conjici potest tam ex iis quæ sequuntur verbis, hoc est *jeci-*

---

conjecturæ huic nostræ pondus addunt duo præstantiores Viri, *Rollinus* nempe & *Blanconus*. Ille enim (*Istor. degl' Imperad.* Lib. I. §. 2.) Augustum morbo detentum anno 729. *Svetonio* & *Dione* testibus fuisse scripsit: hic autem postquam plurimis argumentis ostenderit Augustum ad pristinam sanitatem anno 731. ab Antonio revocatum, rationi consonum esse putavit (*Lettera* IV. pag. 52.) *che dalla fine del 729. al 731. Augusto, il quale non era di gran salute, fosse più o meno ma sempre indisposto in questo intervallo*. Jo. Alb. *Fabricius* (*Biblioth. Græc.* Vol. XIII. pag. 86.) ad annum refert 732. *Eckelius* clarissimus (*Doctr. numor. veter.* Tom. VI. pag. 91.) ad annum 731.

(*a*) Sveton. *in August.* cap. 81. Dio Cass. *Histor. Rom.* Lib. LIII. Tillemont *Histoire des Empereurs*. Tom. I. art. VII. pag. 21.

(*b*) Ibid.

(*c*) Loc. citat. pag. 555.

jecinore vitiato, quia etiam a mala jecinoris intemperie humores articulorum dolores producentes Veteres oriri putabant, scilicet, juxta *Cardanum*, natura excernente quod molestum est a locis jecinori vicinis ad juncturas: tum quia idem *Svetonius* paullo ante (*a*) ubi refert quod *coxendice*, *& femore*, *& crure sinistro non perinde valebat*, *ut sæpe etiam inde claudicaret*, indicare videtur, dispositionem saltem quandam ad articulorum affectus suscipiendos habuisse. Si forte conjectura placeat, horum alter Auctorum alteri facile conciliabitur: eoque magis quod dubitari non potest de duobus diversis morborum generibus alloquutos, cum pene eædem rei circumstantiæ in utrisque notentur. Si quis tamen de symptomate quodam arthritidi juncto suspicari velit, per me licet, dummodo naturam symptomatis patefaciat (1).

Hu-

(*a*) *In Aug.* cap. 80.

(1) Inter Auctores qui de Augusti morbo quidquam scriptis tradiderunt, *Antonius Cocchius* alibi a nobis memoratus prætermittendus non est. Is enim *Porphyrionis* fragmentum in *Horatium* perlegens, quod in Laurentiana Bibliotheca asservabatur, *arteriæ dolore* Augustum laborasse ex eodem fragmento conjecit, & hinc macie confectum frigidis balneis algidisque gargarizationibus a *Musa* curatum fuisse scripsit (*Discorsi Toscani* Parte I. pag. 123. e seg.). At celeberrimo *Blancono* (loc. cit. pag. 53.) *Cocchii* conjectura non penitus arridet: en autem brevi quo ipse nitatur argumento. Augusti jecur vitiatum esse, *contrariaque*

me-

Hujusmodi ergo morbo Cæsar detentus adeo calidis curabatur, ut tectum cubiculi ejus velleribus muniretur (*a*). Medicum vero, qui tanto viro opitulabatur, quemdam fuisse nomine *Aimilium* (1) ex uno Scholiaste percepimus inter eos, qui hujusce facti memoriam reliquerunt; ex quo patet neque a medicamentis abstineri Principem tunc temporis voluisse, ut *Clericus*, neque a Medicis destitutum fuisse, ut *Dacierius* (*b*) arbitrantur. Cumque nihil eorum, quæ sanitati opus erant effice-

---

medicina ab *Antonio* curatum fuisse ex *Svetonio* accepimus. Contrariam hanc medicinam balnea frigida suppeditarunt, nil autem magis jecur lædere quam frigus Romæ tunc docebatur. Hæc *Blanconus*. Si quis vero tantisper in eum *Celsi* locum animadvertat, in quo remedia traduntur faucium morbis accommodata, nunquam profecto frigida in his morbis *Celsum* adhibuisse reperiet (Lib. IV. §. 4.). Cum ergo calefacientia in gutturis & faucium morbis solummodo a *Celso* memorentur, aut in magno versor errore, aut contrariæ medicinæ vocabulum *Cocchii* sententiæ minime adversatur, præsertim cum insolens remedium fuit, atque ab aliis minime usitatum. Fieri itaque potest, Augusti morbum a gutturis læsione exordium sumpsisse, in quo gelida utilius usurpari hodierna etiam praxis edocet, quemadmodum ex citata *Cocchii* dissertatione comperitur.

(*a*) Hor. Scholiast.

(1) *Camelium* alii nuncuparunt. Vide *Plin.* Lib. XIX. cap. 38. & Chr. *Rose* in Dissert. *de Augusto contraria medicina curato*. Halæ 1741.

(*b*) In Horat. *Epist.* XV. lib. I. Tom. VIII. pag. 398. Edit. Amstælodam. 1727.

cere potuisset, *Musa* postea consilio obtemperaturus *ancipitem rationem medendi subiit* (*a*). Nam quia calida fomenta non proderant *contraria medicina*, ut inquit *Plinius* (*b*) idest in contrarium versis omnibus, quæ adhibebantur, ut Scholiastes, non solum profusionibus frigidis (1), sed etiam gargarismis Ciceminæ aquæ, quæ erat Atellæ in domo Cæsaris, & potionibus usus est, ita ut eum intra breve tempus curaret. Lactuca etiam fertur in ægritudine conservatus, teste eodem *Plinio* (2) ex pru-

(*a*) Sveton. *in Aug.* cap. 81.

(*b*) Lib. XXIX. cap. 5.

(1) *Dio Cass.* loc. cit. Lib. LIII. pag. 517. Hectica febre Augustum laborasse auctor est Christ. *Rose* (loc. cit.), cujus profecto sententia cum *distillationibus* & *arteriæ dolore* conciliari potest facilius, quam cum hepatis vitio, quod *Svetonius* & *Blanconus* protulerunt.

(2) *Baccius* in suo Opere *de Thermis* (Lib. V. cap. 9.) scripsit Augustum Cæsarem calidis balneis Albularum aquarum usum fuisse, & *Antonium Musam* eadem Augusto suppeditasse, quod alii similiter auctores indicant, *qui ipsum Musam commemorant fuisse thermarum naturalium studiosissimum*. Hæc *Baccius*, *Svetonii* testimonium & auctoritatem in medium adducens. Verum si *Svetonium* consulas, manifestum erit, Augustum & unctiones & sudores, & aquas tum marinas cum Albulas in more habuisse, quin eas *Musæ* consilio unquam adhibuerit. Albulas *prægelidas* vocavit *Plinius*; *frigidas Vitruvius* (Lib. VIII. de Architect.), tum & *Strabo* (Lib. V. Geograph.); *crudas* dixit *Martialis*; *calidas Svetonius*, *Torrentius* (in Sveton.), *Baccius*: *sanctissimæ* appellatæ sunt in Inscri-

prudentia medici. Quæ cum priores caverent; postea religione omni caruit, immo tanta recepta fuit lactuca commendatione, ut servari etiam in alienos menses oxymelite repertum sit. Quem *Plinii* locum est quod mirer nec *Umelbergium*, nec *Barthium*, nec *Listerum* animadvertisse in suis adnotationibus in *Apicium*, ubi de condiendis lactucis agit.

Sed *Clericus*, cujus in *Musam* promerita ante omnibus sunt ferenda, tria *Plinii* loca perpendens, in quorum altero apparet *contraria medicina* (hoc est frigidis auxiliis) *lactuca* altero (*a*), tertio *ervo* Cæsarem persanatum, fieri, inquit (*b*), potest tria hæc præsidiorum genera in tribus diversis morborum generibus consumpta fuisse. Ego vero, cum *Plinius*, ubi de ervo loquitur (*c*), ne verbum de *Musa* quidem, utrobique autem mentionem utique faciat, tum ubi contraria Cæsarem medicina, tum ubi lactuca asserit periculo exemptum, pro certo haberi posse mihi persuadeo, Viri etiam clarissimi *Rhodii* (1) auctoritate ductus, & lactucam, & frigida simul in uno eodemque morbo fuisse usurpata, ervum autem in alio.

Ita

---

scriptione, quam publici juris fecit *Jacob. Sponius*. Vide *Gronov.* Tom. VII. pag. 244.

(*a*) Lib. XIX. cap. 38.

(*b*) Loc. cit. pag. 557.

(*c*) Lib. XVIII. cap. 38. XXVI. cap. 38. & alibi.

(1) In Scribon. Larg. *Emend. & not.* pag. 180.

Ita in Cæsare conservando se gessit *Antonius*. Sed ob postremum ingenii, doctrinæ, prudentiæque clarissimum facinus, quis honoratior ex mortalibus fuit, beatiorque? Credo equidem de illius ingentibus laudibus totam undique Civitatem personuisse. Qui enim incolumitati Principis consulit, non magis de Principe ipso, quam de tota Republica promeretur; quæ adeo in omne lætitiæ genus effusa erat, ut nonnulli patrum familiarum testamento caverunt, ut ab hæredibus suis prælato victimæ titulo in Capitolium ducerentur, votumque pro se solveretur: *quod superstitem Augustum reliquissent* (*a*). Nec mora Senatus Populusque Romanus, Cæsarque ipse vicissim in medico ornando certabant. Statua, tanquam numini a Cœlo delapso, juxta Æsculapii signum ei posita (1): us-

(*a*) Sveton. *in August.* cap. 59.

(1) Idem ibid. Hunc *Svetonii* locum maligne, ut solet persæpe, interpretatus est *Leonardus a Capoa* (*Parere del Sig.* Lionardo di Capoa. *Ragionamento quinto*, pag. 250.) Æsculapii signum leviter indicans, non pro simulacro: *L' adulatore Senato rizzogli una statua di bronzo presso del segno d' Esculapio*; pluraque addit, ut honorem simulacri non ex *Musæ* promeritis, sed ex Senatus assentatione promanasse demonstret. Quid vero *Leonardus* de nonnullorum conjectura sentiret, qui *scholam Medicorum* statuis exornatam (vid. *Muratori Nov. Thesaur. Veter. Inscript.* T. II. pag. 924. *Mus. Pium-Clementin.* Tom. II. Tab. 38.) ab Octaviano Augusto *Musæ* dicatam fuisse opinan-

usque ad sestertium quadringentis datum: usus annuli aurei, immunitasque non illi modo, sed omnibus medicinam facientibus in posterum quoque tempus concessa (1). Tum primum (*a*) *Hippocratis* asseclæ Romanam cœpere consequi civitatem;

nantur? Et revera, si medicorum *schola* Octaviani temporibus extructa fuit, & si *schola in porticibus fuit locus, & statio quædam instar literarii ludi, in quem philosophi, & reliquis doctrinis exculti homines convenire solebant, ut publicis disputationibus & colloquiis exercerentur* (Pitisco *Lexicon Antiquit. Roman.* v. schola), nil esset, quod admiraremur, Augustum amplissimo hoc monumento illius medici memoriam consecrasse, cui valetudinem acceptam referebat.

(1) Civium immunitas, si *Plinio* fides adhibenda (Lib. XXIX. cap. I.) *Archagato* cuidam *Lysaniæ* fil. concessa fuit anno U. C. 535. Non ergo *Antonio* tantus honos a Populo Romano primitus fuit constitutus. At post *Archagatum* plurimi Medici in Historiis reperiuntur, qui aut pro libertate pretium solverunt, aut nullo soluto pretio libertate donati sunt, ut *Titus Ælius Asclepiades*, *Publius Numitor Asclepiades*, *Tit. Lyrius*, *Cn. Helvius*, *P. Decimius Eros Merula* aliique. Ex his autem putet nemo medicinæ cultores omnes, qui ante & post *Antonium* floruere, pari fruitos esse dignitate: verum, si conjecturæ locus esse potest, summopere suspicor, *Archagatum*, *Antonium* &c. ideo peculiaribus prosequutos honoribus fuisse, quia ab exteris Regionibus profecti novas rei medicæ doctrinas Romam attulerunt, siquidem ex eodem *Plinio* accepimus, *Archagato* avide a Pop. Rom. excepto, & Quiritum juribus exornato tabernam ære publico assignatam fuisse, ut ibidem medicam artem exerceret.

(*a*) *Dacierius* loc. cit.

tem; tum equitum privilegiis participes effici, quæ & nunc temporis Medici summa Principum liberalitate munificentiaque retinent. Arsque illa (*a*), quæ tot ante sæculis ob medicorum nimiam urendi secandique cupiditatem Roma exulaverat, ad pristinam immo longe majorem post *Asclepiadem* dignitatem perducta est; cœpitque sola ex omnibus, ut *Plinii* utar verbis, Imperatoribus imperare; quippe (*b*) & qui Augustum sequuti, secum plures Archiatros ducebant, quorum alii regere valetudines soliti, consilii copiam alii præbere. Quin immo & ipsi Principes (1) huic operam aliquando dederunt disciplinæ, qua sanctior altera haud est. Nam si finem, optata omnibus salus, sine qua nulli sumus, si vero subjectum quæras, ad Dei factus imaginem homo est. Valeant igitur qui cæca vanitatis caligine obducti, ingenuo nobilique viro non satis accommodatam artem putant, a qua eorum atavi & divitias & generis ornamenta fortasse habuerunt.

Enimvero, ut incredibilis in Augusto felicitas, ita

(*a*) *Polyd. Vergil.* loc. cit. pag. 80.

(*b*) *Rhodius* in Scrib. Larg. pag. 21.

(1) Clariss. *Tiraqueau* peculiari opusculo inquisivit, *an ars medica quid nobilitati deroget*: eaque occasione Pontifices, Imperatores, Reges, illustres matronas, Deos ipsos medicinæ exercendæ incubuisse demonstravit.

ita maxima in *Antonium* paullo post calamitas consequuta est. Nam cum Marcellus, Augusti ex Octavia sorore nepos, ab eoque in filium adoptatus in morbi genus gravissimum incidisset, eademque ratione ab *Antonio*, de suis balneis frigidis ob tanta munera, tantosque sibi delatos honores in dies forte nimis sollicito (1), curatus fuisset, supramemorato anno U. C. 731. eodem Cæsare XI. & Cn. Calpurnio Pisone Coss. quemadmodum a *Dione* (*a*) percepimus, e vivis ereptus est *admodum juvenis* (2) non sine omnium miseratione luctuque, atque ingenti mœrore Principis, ut *Pedo Albinovanus* (*b*), seu quisquis alius sit, hisce carminibus indicat:

Vidimus erepta mœrentem stirpe sororis
Luctus ut in Druso publicus ille fuit.
Condidit Agrippam, quo te, Marcelle, sepulchro,
Et cepit generos jam locus ille duos.

Hic ille Marcellus est, sane ut *Paterculi* tempore fe-

---

(1) *Dacierius* loc. cit.

(*a*) Lib. LIII. pag. 517.

(2) C. *Vellej. Patercul.* cum animadvers. *Justi Lipsii* Lib. II. pag. 62. Antuerp. 1667. *Horat.* Lib. I. od. 12.
Crescit occulto velut arbor ævo
Fama Marcelli &c.

(*b*) Eleg. I. v. 65.

ferebatur (*a*) „ ingenuarum virtutum, lætusque a-
„ nimi & ingenii, fortunæque, in quam alebatur,
„ capax “; ille, inquam, in cujus interitum hæc carmina ab *Virgilio* consecrata fuere, quæ etsi omnibus nota, attamen & hîc quoque subnectere visum est, cum ob eorum incredibilem dignitatem, majestatem, & splendidissima funera, quibus Augustus Marcellum condecoravit, & sepulchrum quo condidit, & theatrum (1) quod honoris gratia ejus nomine voluit appellatum, longe antecellant (*b*):

„ *Tum pater Anchises, lacrymis ingressus obortis:*
„ *O Nate, ingentem luctum ne quære tuorum:*
„ *Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra*
„ *Esse sinent: nimium vobis Romana propago*
„ *Visa potens, Superi, propria hæc si dona fuissent.*
„ *Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem*
„ *Campus aget gemitus! vel quæ, Tyberine, videbis*
„ *Funera, cum tumulum præterlabere recentem!*
„ *Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos*

„ *In*

(*a*) Loc. cit. Vide & *Senecæ conselation. ad Mariam* cap. 2.

(1) Præclarum & oppido rarum numum in suo thesauro asservat *Nobilissimus Vir* Thomas de Obiciis, qui Marcelli effigiem refert cum inscriptione, & ex adverso theatrum insculptum est, quod Augustus erexit mortuo Marcello. De hoc autem numo fusius alias.

(*b*) *Æneid.* Lib. VI. v. 868.

„ *In tantum spe tollet avos: nec Romula quondam*
„ *Ullo se tantum tellus jactabit alumno.*
„ *Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello*
„ *Dextera! non illi quisquam se impune tulisset*
„ *Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,*
„ *Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.*
„ *Heu, miserande puer! si qua fata aspera rumpas,*
„ *Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:*
„ *Purpureos spargam flores, animamque nepotis*
„ *His saltem adcumulem donis, & fungar inani*
„ *Munere.*

Quamobrem *Musa* palam convictus fuit, opus fortunæ fatique in Augusto sanando sibi arrogasse (*a*). Infelix artis conditio! Hinc enim casibus rerum variis, hinc pravorum hominum maledictis, hinc vulgi, qui doctos eadem æque ac indoctos lance pensitat, ignorantia versamur, multaque recte facta unius sæpe eventus calamitas aut destruit, aut obscuriora efficit. Nihilo tamen secius Augustus, cujus animi magnitudo morumque suavitas immortali memoria percepta retinebat beneficia, in eo amando atque exornando nunquam destitit (*b*).

Verum ut ad Marcellum revertar, ejus causa mor-

(*a*) *Dio* loc. cit.
(*b*) *Jacob. Philip.* in *Supplem. Chronic.*

mortis, ut *Dio* refert (*a*), a quibusdam Liviæ imputata est, quæ suis eum filiis præferri cum indigne tulisset, sibi ea *Musam*, ut *Clericus* addit (*b*), devinxit, ut balneis in contrarium adhibitis ad internecionem juvenis uteretur (1). Rem esse dubiam, saltem quoad remedii genus ex eo colligitur, quod *Propertius* tradidit, Marcellum in balneis Bajarum calidis occubuisse (*c*). At *Scaliger* asserit (*d*), *Propertium* hoc tantum dixisse, ut Liviæ morem gereret, qui veram interitus causam occulari gestiebat; subditque ob *Dionis* auctoritatem confirmandam illud *Servii* in *Virgilium*, videlicet Marcellum in frigidis balneis *Stabianis* inter-

---

(*a*) Loc. cit. pag. 518.

(*b*) Loc. cit. pag. 556.

(1) Is ego non sum qui *Antonium* a *Dionis* accusatione velim vindicare, neque *Beninium* hoc sibi argumentum fusius pertractandum suscepisse video. Id tamen prætereundum non est, *Dionis* historiam per se prorsus everti, si paullo attentius ipsa consideretur. Postquam enim de Augusto frigidis lavacris curato ipse sermonem habuit, addidit, ægrotantem Marcellum *eadem ratione a Musa eodem curatum* occubuisse. Id quod profecto malum historici animum in summum Medicum significare ex eo præcipue comperitur, quod non eodem frigido balneo, quo Augustus, Marcellum curatum fuisse percepimus, verum Bajanis potius calidis lavacris, ut *Beninius* ipse aliorum testimoniis collectis comprobavit.

(*c*) Lib. III. Eleg. XVIII. v. 7. „ *At nunc inviso magno cum crimine Bajæ* &c. "

(*d*) Vide *Propert.* Patav. 1754. pag. 804.

teriisse (1). Longe alia *Salmasii* mens est, putatque aut *Servium* deceptum, aut qui *Servii* commentaria descripserunt, in errorem incidisse, scribentes *in Stabiano* pro *in Bajano*. *Servius* cum *Propertio* conciliari haud potest: at *Dio* cum *Servio* facilius auctoritate *Plinii* ubi ait (*a*), *Musam* fratremque ejus *Euphorbum* instituisse a balneis frigida multa corpora attingi. Quidam Vir doctus, sequitur *Clericus*, arbitratur balnea, de quibus loquitur *Plinius*, calida balnea fuisse. Hoc modo dici posset, Marcellum prius aquis Bajarum calidis sese proluisse, ut *Propertius*, postea vero frigida aspersum, quod idem ferme esset ac frigidum balneum *Dionis*. Sed intelligi potest, *Plinium* tam de balneis calidis quam de frigidis alloquutum. *Agathinus*, qui pro frigidis balneis pugnabat, suadet a balneis multa frigidæ aspergine perfundi corpora, aut aquam in capite & pectore excipi ex fon-

(1) Quod fortasse ex prava *Servii* lectione enatum esse *Lipsius* docuit (L. I. *Annal. Tacit.* c. 3.), tum & *Vulpius* in adnot. ad *Proper.* Legit etiam *Bajanis* Jo. Alb. *Fabricius* (*Bibl. Græc.* Tom. XIII. pag. 69.) *Blanconus*, alii, & nos etiam qui quamplures Virgilii editiones *Servii* commentariis exornatas consulimus. Inter has nominasse sufficiat edit. Venet. 1544. fol. Pag. 332. Amstælod. 1646. pag. 653. Venet. cum Masvicio 1736. Tom. II. pag. 798. Amstælod. Petri Burmanni 1746. Tom. III. pag. 138. &c.

(*a*) Lib. XXV. cap. 7.

fonte frigido decidentem (1). *Q. Horatius Flaccus*, qui judice *Musa*, ut paulo post videbimus, ad balnea confugerat, ne verbum quidem fecisse comperimus de hac frigidorum calidorumque posita permixtione, quæ profecto robustioribus hominibus extinguendis aptissima forent, quamquam de ea jocari lepidissime potuisset. Hanc de balneis quæstionem ex *Clerico* excerptam hîc apposuimus, nonnullasque animadversiones addidimus, ne quæ *Musæ* nostro quoquo modo pertinere possunt, inconsulto reliquisse videamur.

Mecœnatis quoque valetudinem ei curæ fuisse, ex libello seu potius epistola ad eumdem missa satis constat. In qua præcipue animadvertendum duo certissima Mecœnati tradidisse remedia adversus omnes impetus morborum, quorum alterum erat, ut decimo quoque die se abstineret a cibo & potione: alterum ut postero die lavaretur, ciboque firmo uteretur. Præterea potionem quamdam memorat, quæ Mecœnati usui fuit ad omne corporis vitium eliminandum, & ad valetudinem confirmandam, quæ ipse quidem Mecœnas annos com-

(1) De balnei calidi ac frigidi permixtione & utilitatibus plura retulit *Galenus de simpl. medicam. facult.* Lib. III. cap. 16. tum in *Method. medend.* Lib. X. cap. 10. Quæ autem in hac balneorum successione animadvertenda præcipue sint docuit ipse in *Comment.* III. *ad lib. Hippocr. de rat. victus in morb. acut.*

complures observando, nunquam in ullum corporis languorem incidit. *Quo tempore*, ipsiusmet *Antonii* verba sunt, *nec nostrum Augustum quidquam molestioris incommodi passum esse nosti*. Quæ profecto si quis attente considerat, noscet tanto *Antonium* infortunio post Marcelli obitum non fuisse prosequutum quantum enarrant Historici. Virum enim, cujus ope a faucibus Orci fuerat ereptus, contemnere Augustus ac deprimere non debebat; *graves* enim *&* *periculosas valetudines per omnem vitam* experiebatur (*a*), & quasdam anniversarias, ac certo tempore recurrentes; nam sub natalem suum plerumque languebat, & initlo veris præcordiorum inflatione, austrinis autem temporibus gravedine tentabatur.

Nec minus de *Q. Horatii Flacci* salute sollicitus fuit. Si forte quæris quo laboraret morbo, en quid ipse (*b*):

„ *Hic oculis ego nigra meis collyria lippus*
„ *Illinere*.

& paullo post

„ *Lusum it Mecœnas, dormitum ego, Virgiliusque:*
„ *Namque pila lippis inimica, & ludere crudis*.

Quo

(*a*) Sveton. *in August.* cap. 81.
(*b*) Sat. V. Lib. I. *Egressum magna me excepit Aricia Roma*.

Quo in loco *Lambinus* (*a*) explicat, *Horatium* lippitudine laborasse, cruditate *Virgilium*. At memoratus Scholiastes posuit oculorum dolore, quod idem fere est ac lippitudo. Itaque cum Veliam & Salernum contendere statuisset, ut calidas aquas Bajanas, quas *principes* Martialis appellat (*b*), experiretur, *Musæ* consilio eas prætermisit tamquam inutiles & supervacuas, atque in Hetruriam se contulit, ubi Clusinis frigidis, nulla etiam ratione hyemalis temporis habita perluebatur, uti in hujusce limine epistolæ palam fecit (*c*):

„ *Quæ sit hyems Veliæ, quod cœlum, Valla, Salerni,*
„ *Quorum hominum regio, & qualis via, nam mihi Bajas*
„ *Musa supervacuas* Antonius, *& tamen illis*
„ *Me facit invisum, gelida cum perluor unda*
„ *Per medium frigus. Sane myrteta relinqui,*
„ *Dictaque conantem nervis elidere morbum*
„ *Sulphura contemni, vicus gemit, invidus ægris,*
„ *Qui caput & stomachum supponere fontibus audent*
„ *Clusinis, Gabiosque petunt, & frigida rura.*
„ *Mutandus locus est, & diversoria nota*
„ *Præteragendus equus.*

Ex

(*a*) In *Horat.*
(*b*) Lib. VI. Epigram. 26.
(*c*) Epist. XV. Lib. I.

Ex his *Horatii* carminibus etiam colligitur, Bajarum habitatores admodum indoluisse, eo quod eorum aquæ sulphureæ contemptui erant, fontesque Clusii, Gabiorumque illis more novo præferebantur, quorum aquæ supra caput pectusque accipi solebant, quæ eædem partes sunt, quos jam memoratus indicat *Agathinus*, qui absque ulla contentione hanc methodum a *Musa* perceperat. Quod si *Flacci* oculos lippitudine (*a*) ideo torqueri putamus, quod membranæ & vasa peculiari debilitate laborarent, nil mirum est Clusinos fontes Bajanis aquis ad universi corporis vires sustinendas atque oculorum partes roborandas *Antonium* præposuisse (1).

Sunt & qui Archiatrum nostrum *Virgilio* necessitu-

(*a*) Dacier loc. cit.

(1) Cel. *Jo. Fortunatus Bianchini* in suo Commentariolo (*La medicina d' Asclepiade* pag. 110.) opinatus est *Horatium* nervorum morbo laborasse, ex eo quia in citata Epistola inquit ipse:

conantem nervis elidere morbum.

Nescio vero an ibi locî *nervos* ipse poetarum more dixerit pro fibris videlicet, & membris artuum, præsertim cum apud veteres nervorum nomine partes illæ omnes generatim veniant, quæ in filos aut filorum congeriem conformatæ sunt. *Beninius* de *Horatii* morbo cautius, mehercule, loquutus fuit, quod *Horatii* morbum ex alio loco, Satyra videlicet jam citata, desumpserit. *Torrentius* arthritidem, *Dacierius* podagram interpretati sunt, cum illius versus explicationem redderent.

situdine colligatum arbitrantur (*a*) ex Epigrammate quodam inter *Virgilii* catalecta adnumerato, in quo de dulcissima & jucundissima *Musæ* eloquentia sermo fit. Si suspicari autem potest, eos, qui Cæsaris familiaritate fruebantur, Imperatoris ipsius Medico propriam valetudinem concredidisse, ut de Mœcenate vidimus & *Horatio*; insolens profecto non esset, *Virgilium* quoque cruditatibus excruciatum, opem a tanto medico petiisse. Mirum autem cuique videbitur sermonis tantum suavitatem a *Virgilio* laudari, verum ne medicam *Antonii* sapientiam quidem memorari. Eloquens fuit Prusiensis *Asclepiades*, immo *vincebat cæteros medicos* (*b*), sed & medicus fuit, ejusque peritiam *Crassus* apud *Tullium*, *Plinius*, cæterique summis laudibus sunt prosequuti. Nec de medico *Musa* *Virgilium* scripsisse opinari ex eo potest, quod *Scaliger* (*c*) duo catalecta, illud videlicet:

„ *Quocumque ire ferunt variæ nos tempora vitæ*,

in quo de *Musa*, cum altero:

„ *Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an quæ &c.*

in

(*a*) *Le Clerc* loc. cit. pag. 558.

(*b*) *Cicero* Lib. I. *de Orator.*

(*c*) Pub. Virgil. Maron. *Appendix cum supplem.* &c. Lugduni 1573. 8.

in quo de Octaviani morte ac de bile loquitur, insimul copulavit. *Virgilius* enim Octaviano minime superfuit, cum ille anno U. C. 735., hic vero 767. fatis concesserit. *Virgilio* itaque catalectum alterum tribuendum non est, uti & in primo de *Musa* Rhetore summo *Senecæ* familiari superius a nobis memorato loquutum potius Vatem fuisse, contra *Scaligerum*, & *Clericum* existimamus.

Porro & alibi *Musam* a *Virgilio* laudibus prosequutum fuisse nonnulli (1) contendunt, ubi videlicet *Japi* medico summo elogium hisce carminibus consecravit (*a*):

„ *Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iapyx*
„ *Jasides, acri quondam cui captus amore*
„ *Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo*
„ *Augurium, citharamque dedit, celeresque sagittas.*

Quæ tamen Vir cæteroquin eruditione commendatissimus de hac *Japicis* & *Musæ* comparatione proposuit, satis superque ad trutinam revocarunt alii, ita ut supervacaneum profecto sit ulterius nos in hisce immorari (2).

Ami-

---

(1) *Antonius Musas charecter, represented by Virgil in the person of Japis. A Dissertat. by* F. Atterbury *Late, Bishop of Rochester.* Lond. 1740.

(*b*) Æneid. lib. XII. v. 391.

(2) Alia etiam in hanc sententiam accedit animadversio, quam

Amicos habuit, præter Octavianum, quem perpetuo coluit, Mecœnatem & Horatium, etiam M. Agrippam, cui de Betonica Libellum inscriptum creditur. At qui de *Antonio* mentionem fecere, ut *Horatium* prætereamus, ex veteribus quidem Latinis fuere *Svetonius*, *Plinius*, *Paterculus*, *Scribonius Largus*, aliique; e Græcis autem *Dio Cassius*, *Galenus*, *Eusebius*, *Oribasius*, *Paulus Ægineta*: de recentioribus nil est quod addam, cum plures jam in Commentario hoc nostro citaverim, cæterosque, ne nimius sim, hic recensere locus non est. Nonnulli (*a*) autem *Antonium* nostrum cum alio Medico Octaviani confuderunt, cui nomen erat *Artorius*, quique de Augusti valetudine apud Philippos sollicitus fuït anno U. C. 709. Miran-

---

quam ab Auctoribus Diarii: *Bibliotheque Brittanique* Tom. XV. Part. II. pag. 377. ubi quæstionem hanc agitatam vidi, silentio prætermissam invenio. *Musam Jasis* filium fuisse scribitur. An ex eo quod *Japyx* apud *Virgilium* Jasides appellatur? Quo autem fundamento Parentis nomen ex ficta Vatis narratione noscere possumus, cum & *Antonii* nomen in illud *Japicis* commutetur? Rectius fortasse mihi ea probaretur opinio, quæ *Jasidem* ab *ἴασις* (*medela* scilicet, *sanitate*) derivat; quemadmodum inepta prorsus cuique videbitur adnotatio, quam *Servius* addidit ad originem verbi *Japix* enucleandam. *Aptum nomen medico*, inquit ille, *nam ἰᾶσθαι Græci dicunt* curare: *unde ἰατρὸς dicitur* medicus. An ergo *Japyx Jasides* est *medicus medelæ*? Vide & *Heynium* in suis adnotat.

(*a*) *Brissonius*, *Pontacus*, *Lambecius*, *Menagius*.

randum autem, *Jo. Alb. Fabricium* postquam eorum errorem adnotaverit (*a*), alibi scripsisse, *Artorium, non Antonium dici a Tertulliano, Lactantio* &c. (*b*) fere ac *Artorii* loco, de *Antonio* loquuti fuissent, quod & nos alibi fecisse dolemus (1). Cur autem inter Veteres *Cornelius Celsus*, qui quamplurimos medicos in medium proferre solet, de hoc nostro, licet meritissimo, ne verbum quidem fecerit, prorsus nescio, eoque magis quod illum paullo post *Musam* floruisse constat (2). Videtur enim mihi tanti Viri immortalitati silentio aliquid detraxisse, meque adduxit ut credam, aut illum sibi nullius existimationis fuisse, aut suæ forte nimium studiosum hominem prorsus conticuisse. Miror etiam *Walchium*, qui in recensendis scriptorum veterum latinorum & operibus & nominibus perquam diligens fuit, in suis de lingua latina commentariis *Musam* præteriisse (3).

Fra-

(*a*) *Bibliot. Græc.* Vol. XIII. pag. 86.

(*b*) *Bibliot. Latin.* Tom. II. pag. 25.

(1) In *adnotat.* ad Cornel. Celsum.

(2) Plura in Celsianis Epistolis a *Blancono* clarissimo prolata leguntur, quibus *Beninii* quæstio summopere infirmatur. Argumentis enim quamplurimis nos *Blanconus* evicit, *Celsum* post annum 724. & ante 731. suis *Artium* libris conscribendis incubuisse: illa scilicet ætate, qua *Musa* eam nondum famam atque existimationem possidebat, ut eum tunc temporis floruisse nequeat affirmari.

(3) Naufragio *Musam* periisse tradidit *Torrentius Eusebii* aucto-

Fratrem *Antonii* accepimus *Euphorbum* fuisse ob artis excellentiam, quam ipse quoque profitebatur satis clarum. Siquidem & ipse magni Principis Medicus fuit (*a*), utriusque scilicet Mauritaniæ Imperantis Jubæ, Ptolomæi patris, studiorum tamen claritate magis quam regno memorabilis. Is erat alius Jubæ filius, qui Pompejanas partes sequutus, postea a Cæsare victus fuit anno U. C. 706. (1), ju-

---

auctoritate suffultus (*In Horat.* Epist. XV. Lib. I.) scribens: *ipse* (Musa) *Alexandria in Italiam navigans naufragio extinctus, ut in Euxebii chronicis legimus*. Prætereundum tamen non est, *Torrentium*, æque ac *Brissonium*, *Lambecium*, & alios, quos supra memoravimus, *Antonium* legisse, non *Artorium*, de quo revera scripsit *Eusebius*: *Artorius medicus Augusti post Actiacam victoriam naufragio perit* (*Chronicon* ex interpretat. S. Hieronymi. Extat inter *Opera S. Hieronymi* 1740. fol. Tom. VIII.). In quem errorem *Torrentius* minime incidisset, si Augustum novem circiter annos post Actiacam victoriam a *Musa* curatum fuisse considerasset. Verum de *Antonii* morte fabulosa alia narratio pervulgata est, eaque legi potest apud *Eloy* (*Dictionnaire histor. de la médecin.* Tom. I.), *Musam* videlicet Chirurgicæ arti exercendæ se totum dicasse, & ignem ferrumque in medendis ægris tam immaniter adhibuisse, ut se continere Romana plebs non potuerit, quin lapides in eum conjiceret, quem summis paulo ante honoribus cumulaverat, & universam per urbem traheret exanimatum. Cur autem *Plinius*, in medicos semper iniquus, historiolam hanc silentio prætermiserit, prorsus non video.

(*a*) *Plinius* loc. cit. Lib. V. cap. 1. Lib. XXV. cap. 7.

(1) Salmasius in *Chronolog.* ad calcem *Flori* pag. 513. edit. *Lug.* 1648. *Moreri* Dictionn. histor. Tom. V. vide *Juba*.

juniorisque conjux Cleopatræ, quæ Selene, hoc est Luna, vocabatur, superioris Cleopatræ & Antonii filiæ. Romæ altus, magno sibi adjumento captivitas fuit, quippe qui Octaviani Cæsaris amicitiam excoluit (*a*), litterisque humanioribus, ac liberalibus disciplinis egregie operam navavit. Cumque medicæ facultatis etiam delectaretur, in monte Atlante (1) inventam ab eo plantam medici sui nomine appellari voluit *Euphorbiam*. Sed alibi *Plinius* non a Juba, verum ab *Euphorbo* inventam fuisse tradidit (*b*). *Salmasius* tamen cum *Plinio* nullo modo facit, ostenditque Euphorbium aliis ante sæculis eodem nomine innotuisse. At quomodo res cumque sit, hujusce plantæ in re medica usus esse quamplures & diuturna experientia demonstrat, & præter cæteros pluribus in locis testantur *Galenus*, *Dioscorides* (*c*), & sæpius memoratus *Plinius*, præcipue vero ubi (*d*) refert a Rege ipso lacteum Euphorbii succum miris laudibus in claritate visus, contraque serpentes & venena o-

---

(*a*) *Dio* Lib. LI. pag. 453.

(1) In Tmolo Mauritaniæ monte coli scripsit *Dioscorides* Lib. III. Cap. 88. Interpres autem *Marcellus Virgilius* nullum in Mauritania Tmoli nomine montem esse adnotavit.

(*b*) *Præterque gigni ibi herbam Euphorbiam nomine* ab inventore medico suo *appellatam*. Lib. V. cap. 1.

(*c*) Loc. cit.

(*d*) Loc. cit.

omnia privatim dicato volumine celebrari. Hac etiam Augustum ab *Euphorbo* curatum fuisse, scriptum reliquit *Nicolaus Lemery*. Cum vero nullius auctoritati nitatur, nullamque rei circumstantiam afferat, est quod dubitem, ne forte Vir de re medica, si quis alius, optime meritus, cum in illum *Plinii* locum (*a*) incidisset, quo ait: *invenit & patrum nostrorum ætate Rex Juba, quam appellavit Euphorbiam, medici sui nomine. Frater is fuit* Musæ, *a quo divum Augustum conservatum indicavimus*; particulam relativam *a quo* ad *Euphorbum* retulerit, quæ ad fratrem ejus *Antonium* referri debet.

Balnea frigida, a quibus ne hyeme quidem abstinebatur, eodem cum fratre suo *Euphorbo* primus instituit, primumque in valetudine Augusti usus est: id quod aliquos induxit, ut crederent novam sectam confecisse. Antea mos erat calidâ tantum lavari corpora, sicuti apud *Homerum Plinius* invenisse ait (*b*). Sed tamen *Hippocrates*, & qui sequuti *Hippocratem* sunt, *Arateus Cappadox*, *Cornelius Celsus*, aliique, balnea seu fomenta aliquando præcipiunt frigida, veluti in tetano (1) & dysenteriis, præcipueque in arthritide (2). Et quoad ar-

(*a*) Lib. XXV. cap. 7.
(*b*) Ibid. cap. 38.
(1) Hippocr. *Aphorism.* Lib. V. *Aphor.* 21.
(2) Hippocr. *Aphor.* 25. *Sect.* V. apud *Foesium*.

arthritidem, *Celsi* qui sequitur locus sufficiat: *si vero tumor, calorque est, utilioraque sunt refrigerantia, recteque in aqua quam frigidissima articuli continentur, sed neque quotidie, neque diu fiat ne nervi indurescant* (1). Ex quo non solum conjici potest *Antonii* praxim arrogantiæ & temeritatis redarguendam non esse, si eam ex *Hippocrate* ipse didicerit, verum Scholiastis sententia *Celsi* auctoritate quodammodo confirmaretur, Octavianum videlicet arthritide laborasse. Quod autem singulis morborum generibus hisce frigidis *Musa* uteretur, ut *Dacierius* (*a*) arbitratur, veri haud simile est, cum his solum morbis ea instituisse credibilius sit, in quibus experientia, ratioque utilia fuisse monstraverint. Horum tamen balneorum consuetudo post ejus interitum omnino obsolevit.

Attamen *Charmis* Massiliensis sub Vespasiani imperio eadem a tenebris revocavit, ac tunc temporis visi sunt senes, artubus contrementes, media jam hyeme, in lacubus fluminibusque demersi (*b*). Temporibus etiam nostris non defuerunt qui balneis frigidis uterentur. *Baxterus* in suis ad *Horatium* commentariis de quodam rustico refert balneis frigidis persanato: „ laborabat, inquit, hic „ vir

(1) Lib. IV. §. 24. Edit. *Targæ*.
(*a*) In *Horat.* loc. cit.
(*b*) *Plin.* Lib. XXIX. cap. I.

„ vir sesquimestri fere spatio immanibus arthriti-
„ dis vagæ, paralyseos, atque etiam spasmatum
„ doloribus, adeo ut neque pedibus insistere va-
„ leret. Plurimis autem incassum tentatis reme-
„ diis, immo & mercuriali saliva inutiliter mota,
„ misellus iste tandem (incredibile dictu) ab o-
„ mnibus istis tam sævis symptomatibus, vel uni-
„ ca in frigidas nostras emersione ex toto libera-
„ tus, ad integram sanitatem restitutus est; jussus
„ tamen firmioris efficaciæ causa iterato bis terve
„ in easdem aquas se demittere". *Helbigius* cum de Indorum moribus & regione descriptiones edidit, balnea frigida in omnibus fere morbis adhiberi apud eos adnotavit; & se ipsum, aliis frustra tentatis, bis frigidis lavacris persanatum fuisse fatetur, alias scilicet cùm dysenteria, alias cum biliosa febre laboraret (1). Quod si Veteres consulas, viatores, Neotericos cæteros, historiæ extant ubique de morbis frigido lavacro curatis, aut de quotidiano frigidarum usu ad roborandas præsertim humani corporis partes apprime instituto. Et, ne alia quæram, memini ipse e *Bonifacio Rastello*, dum erat in vivis, de medicina non minus quam de Patria hac nostra optime merito audivisse, Marchionem *Franciscum Jonam* Veronensem me-

(1) *Ephemer. Natur. Curios.* Dec. I. ann. 1678-1679. observ. 194.

Medicum ejusque præceptorem, suum quemdam Concivem a vehementissima colica persanasse solo aquæ frigidissimæ auxilio supra ventrem in balnei formam adhibito; cum ex nullo alio remedio, etsi morbo optime comparato, quidquam levaminis consequi potuisset. Et quidem, si rationem ipsam consulamus, applicata frigida proderunt iis in morbis, in quibus meatus claudere, fibras contrahere, retenta retropellere, exhalationem impedire voluerimus. Consule *Celsum*, qui ad capitis imbecillitatem, lippitudines, gravedines, destillationes, affectas tonsillas (*a*), item & ad stomachum, articulos, dolores, qui sunt sine ulceribus (*b*), ad seminis involuntarias profusiones (*c*) frigida balnea commendavit. *Avicennam* nive exterius admota se ipsum curasse, *Alexandrum Severum* quotidiano frigido lavacro usum fuisse, testes historicos habemus. Rationi hinc protinus accommodatum consilium *Musæ* fuit, qui *Horatii* lippitudini curandæ ad frigida balnea confugit. Quod si minus invidos coævos *Antonius* habuisset, omniaque extarent quæ tunc temporis scripta fuerunt, plures profecto medicas historias haberemus, quæ & de medici glo-

ria,

(*a*) Lib. I. §. V.
(*b*) Ibid. §. IX.
(*c*) Lib. IV. §. XXI.

f

ria, & de frigidorum balneorum utilitate nos redderent profecto certiores (1).

Verum ut in frigidis balneis, ita etiam in viperarum usu vim maximam posuit. Earum carnem edendam præbebat, ut *Plinius* indicat (*a*), quotiescumque in ulcera medicanda incidisset. Per ulcera autem omnes affectus ulcerosos ibi intelligi posse existimo; quæ cum sanabilia fuissent, mira ægrotos celeritate ad pristinam valetudinem perducebat. Quare *Zacuti* lapsus animadvertendus, qui *Pli-*

(1) Præter ea, quæ *Beninius* adnotavit de usu & utilitatibus, quas in medicina facienda a frigidis balneis percipere quisque potest; magnum opus is conderet, qui morborum historias ex Veteribus, ac Neotericis colligeret, in quibus frigidæ profuerunt. Mirum enim quantum in morbis præsertim nervorum ipsæ valeant! quotque inopinatæ curationes ab iis tantum obtineri quandoque queant! Clavum hystericum, tot remediis incassum adhibitis, sola frigidæ applicatione persanavit Patruus meus dilectissimus. Convulsivos abdominis affectus, ructatione, flatibus, torminibus stipatos glacie exterius admota protinus defecisse ipse pluries vidi. De usu autem tanti remedii opusculum confer cel. *Antonii Cocchii: sopra l'uso esterno presso gli Antichi dell'acqua fredda sul corpo umano*, & *Baldini* specimen *de' bagni freddi di acqua dolce*. Napoli 1787. *Wright in Medic. Observ. and Inquir.* vol. VI. Londin. 1784. Nonnulla collegit contra frigida balnea ex aliorum præcipue observationibus Carol. Ludow. *Wolff* in disput. inaug. *de abusu balneorum frigidorum*. Goetting 1792.

(*a*) Lib. XXX. cap. 39.

Plinii locum referens ait (*a*) *Musam Antonium* viperarum carne insanabilia ulcera persanasse. Eadem ratione *Celsus Cornelius* (*b*): *quæcumque autem ratio curandi est, corpus, puro ulcere, exercendum atque alendum est, donec ad cicatricem perveniat. Quæ cum medici doceant, quorumdam rusticorum experimento cognitum, quem struma male habet, eum, si anguem edit, liberari*. Quo in loco, si quis pro angue viperas intelligat, per me licet, cum & *Aristoteles* ipsas viperas serpentes appellet; *Aetiusque* (*c*) eodem affectu, strumis scilicet laborantes homines viperarum esu magnopere juvari, & *Dioscorides* (*d*) viperinas carnes increscentes strumas reprimere autumant. *Galenus* itidem iis, qui elephantiam patiuntur (qui morbus inter affectus ulcerosos, sicuti strumæ, positus est) in viperarum esu mirabile auxilium esse proposuit (*e*); pluresque in medium profert historias eorum qui viperarum auxilio convaluerunt (*f*) correpti elephantia, morbo non ita pridem in Italia noto, quam in Ægypto, ubi viperis cæterisque serpentibus Gentes vescuntur (*g*) oris-

(*a*) *De Medicor. Princip. hist.* Lib. I. hist. 84.
(*b*) Lib. V. cap. 28.
(*c*) *Tetrab.* IV. serm. 3. cap. 5.
(*d*) *Mater. medic.* Lib. II. cap. 16.
(*e*) *De Arte curativa ad Glaucon.* Lib. II. cap. 10.
(*f*) *De simplic. medicam. facult.* Lib. XI.
(*g*) *De aliment. facultate* Lib. III. cap. 3.

f 2

orisque Ægypto confinibus, quemadmodum Veronensis Maro hisce carminibus (*a*):

„ *Sic elephas sacer Ausoniis incognitus oris*,
„ *Sic lichen latuere diu, quibus incola Nili*
„ *Gens tantum, regioque omnis vicina laborat*.

Infinita propemodum essent & veterum (1), & Neotericorum exempla, qui tum in morbosis ulceribus depellendis, quæ circa cutem erumpunt, tum vero in diuturnioribus affectionibus, videlicet in arthriticis (*b*), podagricis, anhelosis, scorbuticis hoc præsidii genus adhibuerunt, quæ ubilibet perlegi & considerari queunt. Ex ingenita enim admixtaque carnibus viperarum juvandi facultate, ut *Galeni* verbis (*c*) utar, potentiorem eæ antidotum efficiunt, exsiccatoria, nutriente, valenter digerente, mediocriter excalefaciente (2) facultate dona-

(*a*) *Syphilid.* Lib. I. v. 97.

(1) In chronico Patavino, quod *Galeatius* & *Andreas de Gataris* conscripserunt (Muratori *Rer. Italicar.* Tom. XVII.) mira historia traditur de Episcopo lepra seu elephantia laborante, qui Patavium petiit anno 1372., ut quædam tanto morbo ratio adhiberetur. Nec incassum profecto. *Jacobus* siquidem *ab Arquà*, cujus in medicina exercenda fama jam erat pervulgata, eum viperarum aliorumque venenatorum animalium esu in pristinam restituit incolumitatem.

(*b*) *Zacut. Lusitan.* loc. cit.

(*c*) *De theriaca ad Pison.* cap. 9.

(2) *De simpl. medicam. facult.* lib. cit. Vide etiam *Æginet. de*

natum. Quas profecto viperinas virtutes sub plurimorum remediorum forma experiuntur Medici, jusculo videlicet, sale, linimento, cæteris. Et nervorum præsertim iis morbis ex debilitate profectis, qui nullo quandoque alio pharmaco superari longa docet experientia, viperarum jusculum, cui anethum aut alia quævis planta cardiacis & roborantibus facultatibus prædita mirifice opitulatur. In atrocissima illa cancri specie, quæ a tanta humorum pravitate pendet, ut sensim sensimque pars quædam corporis, universa dein corporis ipsius compages emacrescit; si in pharmaco spes est, a nullo est repetenda (1) quam a viperarum aliqua præparatione. Ita & viperinum fel, & adeps ulceribus exterius applicitum, aut in oculorum affectionibus adhibitum optimum præsidium fuit (2). At ni-

---

de re medica Lib. IV. cap. 1. Lib. VII. cap. 3. & *Oribasium in Sinops. ad Eustat.* Lib. II. cap. 2. tum *Medicin. Collect.* Lib. XV. cap. 2.

(1) Cum hæc *Beninius* scripsisset (& Commentarius quidem ante annum 1750. jam erat expletus; eum memoravit enim in adnotationibus ad *Celsum*), experimenta nondum publici juris fecerat *Störkius* Archiater Cæsareus de cicutæ viribus contra scirrhos & cancros. Nil hinc admirandum est, si potiores viperæ facultates hic in cancrorum curatione cæteris omnibus medicaminibus præferat.

(2) *Wedelius* in *Ephem. Natur. Curios.* Dec. I. 1671. Observ. 125. 126. *Cullenius* autem clariss. in sua *Materia medica* (Part.

 I.

nimium esset, si ea quæ de summo hoc pharmaco dici possent, hîc recenserem, atque ideo ad alias me *Musæ* observationes convertam.

Mirabile itidem ad anginas auxilio, stercore canis albo utebatur. En quæ *Galenus*, qui & formam parandi, & modum etiam utendi ex *Musæ* ejusdem fragmento nos edocet „ Quin & *Musa* „ plurimum usus est primus adeo stercore canino „ album semper adsumens. Scribit igitur in præ- „ senti affectione similiter eodem canino stercore „ se usum, his adeo verbis: *ad anginam stercus ca-* „ *ninum album accipito ac resiccato, tritumque cri-* „ *bro medico cribrato, & in promptu habeto. Usus* „ *tempore melle diluito, atque tunc ut devoretur il-* „ *linito*. Hæc cum scribat *Musa*, merito ei adsti- „ pulamur: hoc enim pharmaco fortius nullum „ novimus, neque in angina neque in magna ton- „ sillarum inflammatione, aut his quibus ex glan- „ dulis suffocationis periculum imminet (*a*)". Quæ tamen omnia non ideo retuli, ut quis hodiernis temporibus stercoris usum in medicina exercenda revocet, cum ab hominum fere memoria deciderit.

I. cap. 2. Sect. 2.) nullum a viperis utile pharmacum obtineri posse contendit. Plura vero contra hanc sententiam protulit interpres ejus celeb. *Dalladecima* in suis ad *Cullenium* adnotationibus.

(*a*) *De Compos. Pharmac. sec. loc.* Lib. VI. c. 2.

rit. Id tantum volo, *Galenum* optime de *Antonio* meruisse, cum *ei merito adstipulari* scribat; neque minus de medica *Musæ* sapientia judicium ferri potest, si *primus* remedium excogitavit, cujus utilitates ipse primum expertus fuit, aliique in posterum comprobarunt (1).

Ad *Musæ* libros quod attinet, quamplures (*a*) ab eo fuisse conscriptos non ignoramus. Etenim in ipso limine opusculi *de tuenda valetudine* ad Mæcenatem quemdam memorat libellum ordinatissimum, ut vocat, ejus salutis custodem, a se diligenter conscriptum, in quo omnia explorata erant ad sui corporis curationem, eumdemque libellum circa finem opusculi ejusdem iterum Mæcenati commendat, qui ei plenius, se absente, in omnibus præstare consilium possit. Alterum etiam similis argumenti ad Cæsarem coram ipso Mæcenate tradidisse ibidem asserit, in quo summa æque cum brevitate diligentiaque singulorum morborum genera complexus est.

Qui *Artorium* ab *Antonio Musa* non discernunt, scriptum huic tribuunt libellum de hydrophobia, cu-

(1) *Sordidum medicamentum hodie exolevit, saltem nonnisi externe resolvendi ergo adhibetur.* Spielmann in sua *Pharmacop.*

(*a*) Galen. *de comp. pharmac. sec. loc.* lib. VI. cap. 4.

cujus fragmenta in *Cælii Aureliani* opere de morbis acutis non uno in loco perleguntur.

Mangetus Musæ tribuit (*a*) librum inscriptum: *Artis componendorum medicamentorum pars prima: continens linctuum, pulverum medicinalium, aquarum, decoctionum; oleorumque confectionem pulcherrimam, cum lepidissimo de morbi Gallici cura tractatu.* Lugduni 1577. Nil ineptius. Attamen in magno opere viro magno parcendum, errorque potius iis imputandus, cujus opera *Mangetus* forte utebatur ad suam medicorum scriptorum bibliothecam conficiendam. Libri illius Auctor *Antonius Musa* alter *Brasavola* revera fuit, Ferrariensis medicus, qui decimo sexto sæculo floruit, de *Galeno* præ cæteris optime meritus, interque eos jure recensendus, quorum ope latina lingua jam fuerat a barbarie vindicata (1).

Sed quos libros commemoravi, aliosque qui ab eo confecti fuere, miserrime omnes interierunt eo tempore, quo tot insignium Scriptorum volumina Romæ incendio conflagrarunt, quando Pacis delubrum, & ingentes Palatii bibliothecæ combustæ fue-

(*a*) *Biblioth. Scriptor. Medicor.* Lib. XII. pag. 385.

(1) Christophorus etiam *Acosta Antonium Musam* in suo opere sæpius memoravit, qui tamen *Brasavola* fuit Ferrariensis, de quo *Beninius* verba fecit. Vide *Trattato di Cristoforo Acosta* ec. *dell' historia, natura & virtù delle droghe medicinali*.

fuere. Ex iis tamen unus tantum superstes ad nos pervenit *de tuenda* videlicet *valetudine* ad Mæcenatem. Quod opus (sive libellum, seu epistolam malis appellare) *Hippocrati* absurde tributum apud *Marcellum* editum est Norimbergæ anno 1538., tum Venetiis in Ædibus Manutianis cum latinis medicis 1547. folio (1), tum Basileæ cum *Aetio* & *Marcello* curante *Jano Cornario* anno 1536. folio; rectius postea Norimbergæ impressum fuit 1585. sub nomine *Antonii Musæ*. Optime autem animadvertit *Fabricius*, & nos valde admirati sumus, opus hoc inter alia medicorum principum opera in editione *Henrici Stephani* Parisiensi anni 1567. prætermissum fuisse.

Libellus alter, qui varias scilicet multiplicesque Betonicæ vires ostendit, etsi ab *Humelbergio*, aliisque *Antonio Musæ* facile tribuatur, & nonnunquam suo nomine, aliquoties vero inter *Apuleji* opera prodierit; nobis tamen *Barthii* potius sententia

---

(1) *Fabricii* errorem hic protulit *Beninius*, quin Aldi editionem consuleret; si consuluisset enim, *Fabricium* redarguisset. Edidit siquidem Aldus inter Latinos medicos libellum *Musæ* tributum *de Betonica*, quem tamen historici & medici fere omnes *Apulejo* adscribendum esse uno ore consentiunt. Miror autem maximopere nullam de hac Epistola mentionem fieri a *Clerico*, a *Lindenio* (*de Scriptis medicis* 1662. *Lindenius renovatus* 1686.), a Christiano Guil. *Kestnero* (*Biblioth. medica* Tom. I. *Jenæ* 1746.), ab *Eloy* (*Dictionn. histor. de la médicine* Tom. I. 1755.) aliisque de veteri medicina optime meritis.

tia probatur, qui opus hoc partem Apulejani operis esse contendit. Basileæ editus est anno 1528. tum 1537. & tandem 1549. Inter argumenta, quæ nos in hanc sententiam adduxerunt, id primum animadvertendum existimo, quod nulla inter Augusteorum temporum scribendi characterem & opusculum illud accedit similitudo. Quod, si libellum hunc perleges, apprime videbis.

Hæc sunt, quæ optimorum Auctorum, & Historicorum accurata contemplatione collegi: eaque tibi commendata quam maxime volo, tum quia ad Archiatrum spectant, si quis alius, peculiari veneratione excolendum, tum quia Epistola hæc, quæcumque sit, observantiæ & amoris, quo te prosequor, magis te magisque reddet certiorem.

ANTONII MUSÆ

FRAGMENTA.

DE
ANTONII MUSÆ
FRAGMENTIS.

AD ea, quæ *Beninius* Clarissimus de *Antonii Musæ* medicina tam sagaciter protulit, nonnulla quoque addenda esse existimavi; quæ fortasse, si *Beninius* diutius superfuisset, atque edendo Commentariolo operam suam navasset, haud prætermisisset profecto: cum ad Medici illius celebritatem, & famam confirmandam studiosissime incubuerit. De *Musæ* videlicet *Epistola* ad Mæcenatem quædam mihi dicenda sunt, in qua de præsidiis agitur pro tuenda valetudine, tum de medicis illis compositionibus, quas ipsi acceptas Veteres æque ac Neoterici retulerunt. Nec mirum sane alicui videbitur, me post tot celeberrimorum Virorum disquisitiones nova adhuc polliceri; præter enim quam quod *Musæ* frag-

fragmenta nemo hucusque collegerit; illud etiam accedit, quod nonnulla in iis adnotanda sunt, quæ & in vulgatis Commentariis & in *Beninii* Opusculo brevitatis forsan amore silentio fuerunt prætermissa.

Et primo sane quînam factum sit prorsus non intelligo, ut *Musæ Epistola* Hippocrati fuerit a plerisque tributa; cum non solum in ea serioris ævi characterem unusquisque manifeste conspiciat; verum etiam quia medicorum Princeps ad Perdiccam tantummodo Macedonum Regem tabe laborantem vocatus, ut ex *Sorano* accepimus, eum in pristinam restituit incolumitatem; quin umquam de ea sive Augusti sive Mæcenatis fuerit sollicitus, quorum valetudini pluries se & opera & scriptis prospexisse ex ipsa Auctoris *Epistola* manifestum est. Siquidem & *libellum* memorat *ordinatissimum salutis custodem* Mæcenati traditum, & alterum Cæsari oblatum, & *potionis compositionem*, quæ Cæsarem ipsum ab omni corporis languore tutum per plures annos atque incolumem reservavit.

Neque inter Hippocratica Opera irrepsit tantummodo *Epistola* hæc, sed inter spurios *Galeni*

leni libros quoque vulgata fuit sub titulo *libri II. de dynamidiis*; id quod neque a *Fabricio*, neque ab *Hallero* in eorum *Bibliothecis*, neque a *Beninio* animadversum video. Plura tamen in hac editione Opusculo accesserunt; & remedia præ cæteris ad morbos omnes & singulos, vana sæpe ac superstitiosa, quæ cum Augusti ætatem & *Asclepiadis* Bithyni sectam minime redoleant, ex codice fortasse descripta censeo, in quo nullum, Amanuensis vitio, inter *Musæ* opusculum & compositiones illas discrimen intercedebat. Et re quidem vera nemo hoc sibi poterit facile persuadere, ut *Antonio Musæ* tam implicata probaretur remediorum copia; postquam *duo* tantum ad morborum impetus omnes averruncandos necessaria & *certissima remedia* esse docuerit: primum videlicet ut decimo quoque die unusquisque se cibo abstineat atque potione: alterum vero ut postero die balneo lavetur, firmiorique utatur alimento.

Quî autem factum sit, ut *Hallerus*, Vir cæteroquin eximius, *Epistolam* hanc *parvi momenti* judicaverit (*a*), ego profecto non video. Si

(*a*) *Biblioth. Botan.* Tom. I. pag. 63.

Si enim temporum ratio habeatur, in quibus *Antonius* diætetica præcepta Mæcenati descripsit, nil sane brevius dici poterat, quod cum optimorum Medicorum doctrinis accuratius conveniret. Quæ ne audacius affirmare videar, quam par est; quid de *Epistola* sentiendum sit, quid damnandum in ea, ex ipsius *Epistolæ* contemplatione unusquisque decernat. Siquidem postquam *Musa* universam humorum physiologiam paucis complexus est, eamque ad morborum potissimum causas recte dignoscendas & discriminandas accommodatam, præcipua deinceps symptomata singulatim exponit, quæ aut capitis, aut ventris, aut vesicæ morbos præcurrunt & comitantur; tum practicas quasdam indicationes enumerat nulla simplicium farragine, nulla superstitionis nota defœdatas. Quod ut luculentius & medicis pateret, & cæteris omnibus, qui de sacro artis nostræ ministerio adunco naso dijudicant, adnotationes quasdam brevissimas adjeci, ut doctrinarum præstantia elucesceret, atque earum cum celebriorum Medicorum præceptis convenientia.

Quæret porro quispiam de me, an *Antonio* revera *Epistola* sit adscribenda, cum nulla ibidem

dem de Augusti ægritudinibus, de *contraria medicina*, ut ait *Plinius*, qua ipse convaluit, de frigidis tandem lavacris mentio fiat? Verum si quis attento & æquo animo consideret, *Musam* de universa medicina & de singulis morbis minime egisse in Opusculo, de quo quæstio est, *nec Augustum per annos complures quidquam molestioris incommodi* se duce & medico *passum fuisse*: arrogantiam *Musæ* potius & immoderatum animum culparet, si omnia illa quæ in ejus laudem redundarent hîc commemorasset; præsertim cum verisimile sit, in aliis Operibus, quæ Augusto ipse inscripserat & Mæcenati, de Archiatri munere sibi conlato, & de immunitatibus toti Medicorum ordini concessis gratam se pollicitum fuisse recordationem.

In edenda sane *Epistola* istiusmodi Norimbergensem lectionem sequutus fui, utpote quæ cæteris correctior est; lectionibus tamen aliis adjectis, iisque præsertim, quæ in *Galeni* Operibus occurrunt. Sed satis de *Epistola*: pauca quædam nunc de nonnullis *Musæ* medicaminibus, tum de Compositionibus quæ supersunt, adjicere operæ pretium existimavi.

Protulit itaque *Plinius*, ut vidimus in *Beninii* Commentario, *Antonium medicum, cum incidisset insanabilia ulcera, viperas edendas dasse, miraque celeritate persanasse* (*a*), a *Cratero* Græco Medico forsan edoctum, qui viperina carne servum ulceribus laborantem, ut a *Porphyrio* accepimus (*b*), ad pristinam restituit integritatem. Quem *Plinii* locum interpretatus *Lusitanus* ait: *viperarum carne Antonium Musam ulcera insanabilia persanasse* (*c*); perinde ac si ulceribus cunctis ac singulis specificum vipera præstare potuisset remedium. Recte ideo *Beninius* addidit: *cum sanabilia fuissent*: propterea nimirum quia Medici omnes & chirurgicæ artis Magistri minime ignorant, ægros quandoque ejusmodi ulceribus torqueri, quibus præsidium nullum, nullique chirurgicorum conatus possunt opitulari. Non ideo abs re mihi visum fuit conjectari, in eo *Pli-*

(*a*) *Hist. natur.* Lib. XXX. cap. 39. ex recens. *Harduin.*

(*b*) *De abstinent. ab animal.* Lib. I. pag. 16.

(*c*) Loc. a *Beninio* citato. Sequutus etiam *Lusitanum* fuit *Meadius* (*de venen. Tentamen* I.), tum *Dalladecima* Patavinus Professor in adnotat. ad *Cullenii* mater. medic. Tom. III. pag. 331.

Plinii loco errorem Exscriptorum vitio irrepsisse, & *insanabilia ulcera* vulgo legi, dum potius dicendum erat *in sanabilia*; tum quia *insanabilia* ea ulcera existimari nequeunt, quæ *Antonium persanasse* fertur; tum quia apud *Celsum* (*a*) legitur, corpus, *ulcere depurato* (quod in insanabilibus obtineri nequit), anguibus seu viperis alendum esse, felici quorumdam rusticorum experimento.

Miror autem, inter tot Auctores, quos hunc *Plinii* locum aut citasse aut ad examen revocasse vidimus, unum *Morgagnum*, Virum cæteroquin de medicæ artis historia meritissimum perlegisse *in insanabilia ulcera* (*b*), quam sane præpositam particulam nulla mihi neque aliis exhibuit Pliniani operis editio. Corrigenda itaque *Morgagno Plinii* lectio visa fuit, cur vero *in sanabilia* potius legendum non præceperit, facile non est divinare; nisi quis eum ideo argueret, quod insanabile id ulcus esse contenderit, in quo uno persanando *Musæ* consilium

(*a*) De *Medicina* Lib. V. cap. 28. n. 7.
(*b*) De *sedib. & caus. morbor.* Epist. LV. §. 15.

lium ipse sequutus viperæ jusculo & carnibus se usum fuisse testatur.

Quis tamen objiciet, nil esse in *Plinii* historia insolens atque admirandum, si *Musam* sanabiles ægrotos persanasse contendimus; addetque fortasse, verbum *incidisset* id significare, quod *Musa* ulceribus scalpello prius leviter scarificatis, viperina carne ægros ad pristinam valetudinem restituebat; quod eo magis mirum est, cum ulcera fuerint insanabilia. Hisce vero omnibus recte pensitatis, quæ pro vulgata *Plinii* lectione afferri possent, paucis respondere sat est. *Musa* videlicet non ideo commendandus videtur, quod insanabilia ulcera viperis tractaverit (cum hoc rationi, & veterum neotericorumque periculis adversetur); verum vero ea potius in *Plinii* historia veniunt adnotanda, quod *Antonius*, omnium fortasse primus, adversus ulcera viperarum decocta vel carnes adhibuerit, quod a nemine fuerat excogitatum: atque hoc præsidio *mira celeritate* pristinam ulceratis integritatem restituerit; quod frustra alterius generis auxiliis alii perficere tentaverant.

At quoniam de Veterum medicina nonnulla tan-

tantum ad nos pervenerunt hic illic seorsim dispersa: dolendum hinc est maximopere, nos illis operibus carere, a quibus fortasse non infrequenter notiones acquireremus, quæ nobis methodos sufficerent ad certas expugnandas ægritudines non parum tutiores atque utiliores. Fragmenta enim, quibus fortuito ætas & ignis pepercit, & quæ in optimorum Scriptorum operibus adnotata sunt, nos docent apprime, nobilissimam artem medicinam fuisse, & nonnulla apud nos medicamina summopere commendari, quæ nunc quoque in maximo habentur honore. Et, ut de cæteris sileam, *Musam* quidem nostrum frigidis balneis & viperina carne usum fuisse vidimus; quæ duo in Italia præsertim, nostris hisce temporibus maxime commendantur, uti ex iis colligi potest, quæ de eorum remediorum utilitatibus in *Beninii* commentario adnotata sunt. Neque casu ad hæc præsidia *Antonium* confugisse existimandum est; nisi *Asclepiadis* sectatorem rationali secta se abdicasse malumus: id quod sane de prudenti Viro ad Imperatoris valetudinem conservandam accito turpe esset conjectari, præsertim cum methodo prorsus con-

g 3 tra-

traria ægrotantem tractandum esse decreverit.

His suffulti rationibus, quæ tandem cunque sint, non inutile esse putavimus, ut quæ *Rhodius* de *Scribonio Largo* confecerit, eadem & nos aliqua saltem ex parte de *Musa* experiri conaremur; medicas scilicet ejus compositiones colligentes, quæ apud *Galenum*, *Paulum Æginetam*, aliosque occurrunt: quin tamen omnes ac singulas nos collegisse arbitremur. *Pastillum* enim *Musæ* sapa & aceto dilutum (*a*), ejus *medicamen* ad oris ulcera curanda (*b*), aliud ad gangrænam (*c*) *Galenus* refert, absque eo quod harum præparationum compositio innotescat. Multa autem de medicis auxiliis *Antonium* scripsisse facile est conjicere; tum quia compositiones ejus plures extant; tum quia & ipse Medicis illis adnumeratur, qui de pharmacis Libros plurimos conscripserunt (*d*).

Hæc,

(*a*) Galen. *de Composit. medic. sec. loc.* Lib. III. cap. 1. Aetius *Tetrab.* I. *Serm.* IV. cap. 12. *Tetrab.* II. *Serm.* II. cap. 82.

(*b*) *Method. medend.* Lib. V. cap. 10.

(*c*) *De arte curativ. ad Glaucon.* Lib. II. cap. 9.

(*d*) *De Composit. medic. per genera* Lib. II. cap. 2. *De arte*

Hæc, quæ de *Musæ* fragmentis & medicaminibus præfatus sum, medicæ artis Magistri ut æqui bonique consulant, oro obtestorque.

---

te curat. ad Glaucon. Lib. II. cap. 2. *De Composit. pharmac. sec. loc.* Lib. VI. cap. 4. *Musam* cichorea usum fuisse optimo cum successu in abdominis affectionibus refert *Hallerus* (*Matiére medicale tirée de* Halleri *histor. stirp. indigenar. Helvetiæ par M.* Vicat. *Additions*. Tom. I. pag. 362.).

ANTONII MUSÆ

LIBELLUS

De tuenda valetudine ad Mæcenatem (a).

QUEM roganti tibi libellum promisi, omni cura adhibita descriptum misi, ordinatissimum tuæ salutis custodem, quem habebis tam diligenter, quam scriptus est (*b*). Ad curationem enim corporis tui omnia explorata sunt, quæ cum rerum effectu comperi (*c*), celeriterque com-

(*a*) In editione *Galeni* huic Libello censura adjungitur: *Liber magna ex parte ex Aetio desumptus, erroribus tamen plurimis scatens*; quod videlicet de iis omnibus additamentis dici poteſt, quæ Opusculo ipsi adduntur in citata editione.

(*b*) *Plures autem libros composuerunt Antonius Musa, & post eum Asclepiadæ duo, &c. Ita Galenus de compos. pharmac. sec. loc.* Lib. V. cap. 4. Duos libros hæc Epistola memorat, alterum videlicet Cæsari inscriptum, in quo de singulis egit curationum generibus, alterum Mæcenati. Et honorificum sane *Antonio* fuisse putandum est, se a Mæcenate *rogari*, ut ea præciperet, quæ ad bene beateque vivendum ipsi eſſent necessaria.

(*c*) Abditas nimirum & morbum continentes causas, ut ait *Cel-*

complexus sum. Intueri ergo omnem medicinæ rationem debebis. Namque ego diligenti cura, licet summa brevitate, comprehendi singula curationum genera, sicut proxime in eo libello (*a*) feci, quem Cæsari nostro coram te tradidi, quas curationes per temetipsum æstimare poteris: sapientibus enim ratio venire in consilium adsuevit. Omne itaque corpus hominum, pecudum, alitumque ex quatuor generibus constat, sed præcipue hominum, calido, frigido, sicco, & humido. Frigido enim continentur viscera, unde spiramus. Calore continetur anima, qua vivimus, idest qua vita sentimus. Sicca sunt ossa quæ vires faciunt ad sustinendum laborem. Humidus est sanguis, quo alitur vita. Per omnia enim viscera venæ currunt quæ sanguinem regunt. Sanguis animam, anima vitam sustinet: spiritus autem aeris est. Ossa nervis munita virtutem corpori præ-

---

Celsus (*de medicina* Lib. I. Præfat.), quas studiose contemplari *Antonius* debuerat in Mæcenate, si *Asclepiadis* sectam sibimetipsi in medendo proposuerat; *celeriter* siquidem ea fuerat complexus, quæ ad Mæcenatis ἰδιοσυγκρασίαν, ut appellant, referri potuissent.

(*a*) Vide priorem huic *libello* adjectam adnotationem.

præstant. Sanguis cum abundat valetudinem vitiat. Ex eo nascitur sanies, quam in vulneribus sectis videmus. Nascitur & pituita quæ nauseam facit. Nascitur etiam bilis acida & amara quæ dicitur mater morborum (*a*). Bilis enim cum est, concitat calores. De pituita perfrictio nascitur, quæ facit dolorem intestinorum, torsiones etiam, inflationemque, quæ corpus extenuat (*b*). Sanguis autem a nimio cibo nimiaque potatione incipit abundare, & cruditate corrumpitur. Qui cum evacuatur extra cursum naturæ infert aliqua corpori vitia, & in quacunque parte corruptus incubuit, fatigat, & lædit (*c*). Nam sanguis animam quoque vitiat, & inde os hominis incipit fœtere (*d*). Cum est ergo integer sanguis animam sine

(*a*) *Morbi omnes hominibus ex bile & pituita oriuntur*. Hippocr. Περὶ Παθῶν. Idem fere quod *Anaxagoræ* adscripsit *Aristoteles* 4. *de part. anim.* cap. 2. nimirum bilem, sive bilis receptaculum acutorum morborum causam existere.

(*b*) Hippocr. Περὶ ἀέρων, ὑδάτων, τόπων: *Pituitosis itaque intestinorum difficultates fieri par est*.

(*c*) Hippocr. περὶ φυτῶν: *sanguis in alienum locum effusus, mora computrescens in pus vertitur, neque sursum conscendere, neque infra subire potest*. Vide & *Celsum* Lib. II. cap. 7.

(*d*) *Summis tum medicis tum philosophis in confesso est*, &

sine dubio confirmat, ut possit frigus caloremque fortius sustinere. At cum abundat, cumque calore animæ corrumpitur, fit sanies, tum & bilem atram concitabit, & calorem interdum ac frigus faciet, corporique universo languorem animæque malum odorem vel anhelitum faciet. Quo facilius igitur commodis valetudinis fruamur, & incommoda vitemus; prognostica, idest, præcurrentia vitia signis naturalibus cognoscamus necesse est, cognitaque emendemus, ne mortifera fiant (*a*). Quatuor igitur disponuntur corporis partes, cujus origo in capite est & thorace, deinde venter sequitur & vesica. Ita locorum istorum sinceras notas cognoscemus. Hominis sani urina mane alba

---

& humores, & omnino corporis temperaturam animæ actiones inalterare. Galen. *de locis affect.* Lib. III. cap. 7. Oris fœtorem in morbis præsertim biliosis, aut in iis, qui a stomachi & ciborum vitio proficiscuntur, maxime attendendum esse quotidiana medicorum observatio demonstrat.

(*a*) Iis expletis, quæ ad hominis naturam & ad causas morborum præcipuas generatim pertinent, ad morbos ipsos propius considerandos Auctor accedit, seu potius ad ea symptomata, quæ morbum persæpe minantur; quibus si homo animum statim advertet, graviores morbos tuto potest præcavere. Sequentibus, in editione *Galeni*, hæc particula ceu titulus præponitur: *ex quibus membris sanitas vel infirmitas perpendatur*.

alba erit, & ante prandium rufa. Pransi rursus candida, item ante cœnam rufa (*a*). Nec ego tamen necessitatem prandendi imposui, sed magis urinam & tempora naturalia imposui (*b*). Candida enim urina debet esse, ubi cruditas non est, mane quieto corpore (*c*), deinde motus ipse & deambulatio urinam turbat, excitatque vesicam, ideoque coloratior fit. Quod si mane urina mutaverit colorem ostendit subesse vitium infirmitatis (*d*), quod tamen propriis indiciis intelligimus.

Cum enim a capite morbus oritur, solet capi-

(*a*) *Scire autem licet integrum corpus esse cum quotidie mane urina alba, dein rufa est. Illud concoquere, hoc concoxisse significat*. Celsus Lib. I. cap. 2.

(*b*) Pro *necessitate prandendi*, tempus una simul intelligit, quo prandit unusquisque; ideoque non absque ratione subdit *tempora naturalia* se imposuisse.

(*c*) Quietum vero corpus non est, si lecto tantum incumbat. In nervosis enim affectibus albida, imo aquea excernitur urina, quin tamen ex ea Medicus de sanitate ferre judicium queat.

(*d*) *Per vesicam prodeuntia inspicere oportet an sint qualia sanis prodeunt. Quæ igitur minime his similia, ea morbosiora. Sanis vero similia minime morbosa*. Hippocr. *Aphor*. 391. Aphorismus sane æque irridendus ac ille: *si qualia purgari oportet, purgentur, confert*, &c.

pitis dolor comparere, tunc & supercilia gravantur, tempora saliunt (*a*), aures sonant, oculi lacrymant, nares repletæ odorem non sentiunt. Cum ergo ex iis aliquid accidit, caput purgari oportet hac ratione. Hyssopi (*b*) aut cunilæ bubulæ (*c*) fasciculum cum aqua defervefacias, inde aquam ore continebis, sed caput calide tractabis ut fluat pituita. Quod si quis negligit, capiet epiphoras oculorum (*d*) aut dentium vel aurium dolorem. Interdum etiam strumæ parotidesque nascuntur & alia vitia, quæ circa fauces cervicesque oriri solent. Item distillatio aut gravedo narium erit. Et interdum ulcera in capite nascuntur, aut etiam capilli defluunt. Cum autem a thorace morbus na-

(*a*) Arteriæ videlicet, quæ per temporum regionem disseminantur frequentiori micant ictu, & majori sanguinis copia turgentes apparent.

(*b*) *Hippocr.* de vict. ration. Lib. II. *Hyssopum calidum & pituitam ducit*.

(*c*) *Plin.* Hist. natur. Lib. VIII. c. 41. Lib. XIX. c. 50. *Hæc apud nos habet vocabulum & aliud*, satureja *dicta in condimentario genere*. Ad duritiem jecinoris eam laudat *Scribon. Largus* (Comp. CXXIV.). Salmasius *conelam* sive *cunelam* vocavit; Dioscorides Κόνιλη; Ruellius *cuniculam*.

(*d*) Præter Veteres, consule de epiphora seu oculo lacrymante *Institut. Chirurgicas* Heisterii. Part. II. Sect. II. cap. 53.

nascitur, incipit caput sudare, linguaque fit crassior (*a*), aut os amarum, aut tonsillæ doleant. Oscitatio erit frequens, sine somno & quiete. Torpor membrorum, animi dolor, prurigo corporis, brachia manusque assidue intremiscunt, subitaque tussis arida & inquieta nascetur. Ex iis ergo cum aliquid acciderit, vitabis vitium grave, si vomueris (*b*) sive jejunus,

(*a*) *Gravior* legitur in edit. *Galeni*; idest fere graveolens, ut quæ loquelæ perficiendæ difficulter & graviter inservit. Verum cum *Antonius Musa* de thoracis & gulæ laborantis symptomatibus hic una simul disserat, *crassiorem* profecto linguam inter ea symptomata, potius quam *graviorem* adnumerandam censeo. In ranula enim *lingua tumet*, inquit *Hippocrates* (de morb. Lib. II. cap. 10.); quod & in angina ab *Aretæo* observatum fuit (de caus. & sign. morbor. acutor. Lib. I. cap. 7.).

(*b*) Optimum sane consilium, medicis summopere commendandum, etiam *prudentioribus*, quos non nisi urgente necessitate emeticum in auxilium vocare mavult *Gorterus* (Medicin. Hippocr. Aph. 116.). Non enim *Hippocratis tempore* solummodo *vomitoria in frequenti usu fuerunt*, verum & a Græcis & a Romanis ea semper utiliter adhibita vidimus, & quotidiana nos experientia docet, tutius, celerius, ideoque jucundius pertinacissimos quandoque morbos hac methodo solvi, quibus longa caeterum medicorum diligentia desideraretur, absque eo quod optatus sæpe eventus responderet. Nec in pectoris morbis quidquam est ab emeticorum usu metuendum. *Celsus* enim vomitum iis *prodesse* observavit, quibus *pectus æstuat* (Lib. I. cap. 3.). In hæmoptoe emetica adhibuit cl. *Stoll* (Ratio medendi Pars VII.

nus, sive post cœnam, vel in balneo. Plus autem prodest si jejunus bilem ejeceris. Eam enim dicimus matrem morborum. Sed qui vomere nolunt, vel non possunt, quia stomacho laborant, decimo quoque die jejunando, omni cibo se abstineant, quo facto vitium grande vitabunt. Nam frequenter vomendo, solet stomachus corrumpi (*a*). Quod si a ventre morbus orietur, hæc erunt signa: venter vertetur atque turbabitur, & sentiet crebros dolores; cibus & potio videbuntur amara. Genua succident, lumbi gravabuntur, intersclapium contrahetur, totumque corpus particulatim (*b*) gravabitur. Tardabuntur pedes, pigra fient crura, renes indolescent. Et post hæc febriculæ incurrent. His itaque cognitis prima est abstinentiæ utilitas (*c*). Tum etiam medicamentis al-

---

VII. pag. 260.); in hæmophthisi *Gregoryus* (Practical observations on the childbedfever), & *Whithers* (Versuche v. Blutflussen der Lunge ec.).

(*a*) *Istud* (vomere) *luxuriæ causa fieri non oportere confiteor.... Commoneo tamen, ne quis, qui valere & sanescere volet, hoc quotidianum habeat*. *Celsus* Lib. I. cap. 3.

(*b*) Idest per partes.

(*c*) *Fames enim plurimum potest in hominum natura, ad sani-*

alvum purgari oportebit, ut grave corpus levamentis adjuvetur. Quod si morbus major premere videbitur, adjicies alterum diem abstinentiæ (*a*), si tamen vires patientur, sin minus, quam levissimum sumes cibum, ut ovum sorbile tantum, aut aliquid ovo simile accipias. Hoc qui negligunt, fiunt cœliaci, torminosi, dysenterici; etiam ex eo nascuntur tertianæ, & quartanæ; fiunt podagrici, chiragricique; morbus etiam articularis hinc accidere solet. Quidam etiam fiunt amentes (*b*), quibusdam sanguis etiam erumpere e naribus solet. Oportet ergo occurri tam gravibus malis curatione prædicta.

A vesica qui nascuntur morbi hæc dabunt signa: pleni videbuntur, & cito saturari (*c*) quos

---

sanitatem inferendam. Hippocr. περι ἀρχαιης ἰητρικῆς. *Neque ulla res*, addidit *Celsus*, *magis adjuvat laborantem*, *quam tempestiva abstinentia* (Lib. II. c. 16.).

(*a*) *Igitur, si quid ex his, quæ proposita sunt, incidit, omnium optima sunt quies & abstinentia: si quid bibendum, aqua; idque interdum uno die fieri satis est; interdum, si terrentia manent biduo* (*Celsus* Lib. III. c. 2.).

(*b*) *Quin etiam (nisi cura juvat) vitiare cerebrum*
Fertur, & integros illinc avertere sensus. (*Seren. Samonic.* de Medicin. *Digest. & stom. medend. v.* 5.).

(*c*) Lectio manca est; quin magis mihi probetur lectio altera:

h

quos gravabit. Sequentur inflationes ventris ; & crepitus crebri, videbuntur oscitare nec oscitabunt, sed tantum os diducent ; sequetur totius corporis stupor somnusque gravis quasi marcor ; fiet urina livida (*a*) & vix erumpens. Tumescunt etiam veretra ; inde & calculosi fient. Hæc vitia sic emendantur. Fœniculum & apium vino austero madefacito, vel etiam earum herbarum radices contere, & ex vini cyathis duobus, & tantundem aquæ calidæ accipe assidue, vel dauci semen, & myrtum ex aqua calida sume (*b*), vel cicer album sume non arietinum (*c*), madefactum vino, ut supra scri-

---

tera : *& cito saturi sentiuntur* ; nam in τo *quos gravabit* præcipua observatio comprehenditur. Adnotavit quidem *Celsus* consortium quoddam, quod stomachum inter ac vesicam est, quæ excisa cancro laborat, ex quo consortio *neque cibum retineri*, *neque si quis retentus est concoqui*, *neque corpus ali scripsit* (Lib. VII. cap. 27.).

(*a*) *Celsus* Lib. II. cap. 4. *Galenus* de sanitate tuenda Lib. IV. cap. 4.

(*b*) Plura ex his in eodem morbo commendata vide apud *Scribon. Largum* Compos. CXLIV. CXLV. De vini autem cum aqua diversimode miscendi usu & præstantia apud veteres plura collegit eruditissimus *Mercurialis* (Variar. Lection. Lib. I. cap. 18.).

(*c*) Veteres inter plurimas ciceris species, *candidum* cicer ad-

scripsi, ebibe, vel radicem asparagi, vel ervum erraticum, vel serpillum decoque, ejusque aquam vino mixtam bibe. Quæ qui negligunt fiunt hydropici. Sequetur iis jecinoris & renum & vesicæ dolor. Fient quoque calculosi, stranguriam quoque sustinebunt, & ventris tumorem. Intueri autem oportet ægri vires, quomodo possit sustinere medicinam, & ita febri & cruditati ejus adhibeatur. Fiunt ergo cataplasmata, quæ apta sint capiti, ventri, vesicæ, cruditati, frigori, calori, pro ut tempus exegerit. Uti autem ad hæc oportet rosa, aceto, vino, oleo irino; linguam ægri asperam melle perfricari, vel menthæ folio. Reliqua diligenti medico permittenda sunt, quia juxta morbos debet adhibere medicinam (*a*). Quoniam ostendi corporis sani & imbecilli notas per urinam denunciari, & adjeci curationum consilia, nunc & compositiones medicamentorum adjiciam, unum ne nascantur corpori

adhibebant, quod *Columella punicum* appellavit, tum cicer *album arietinum*, tum *arietinum rubrum*. *Punicum* seu candidum quod arietinum non est *Antonius* memoravit.

(*a*) In edit. *Galeni* iis quæ sequuntur, particula præponitur: *Prologus libri*.

pori vitia, alterum ut emendatio sanitatem reducat. Adversus autem omnes impetus morborum duo sunt remedia certissima. Primum est, decimo quoque die ut te abstineas a cibo & potione. Deinde postero die laveris, ciboque firmo uteris, qua re & observatione efficies, ne quid omnino vitii corpori tuo accidat, & perpetua sanitate sis tutus. Est & potio salubris, quæ omne corporis vitium eliminat, & valetudinem confirmat. Ejus potionis jam tecum habes compositionem, per annos enim complures, amicissime Mæcenas, cum Cæsare nostro pariter nos morari meministi, quo tempore hæc observando nunquam in ullum corporis languorem incidisti. Quo tempore nec nostrum Augustum quidquam molestioris incommodi passum esse nosti (*a*). Ita enim me tecum habebis, si libellum meum legendo sæpius tractaris, qui plenius tibi me absente præstare consilium in omnibus poterit (*b*). Terentii E-vel-

---

(*a*) Scilicet hac methodo Augustus usus fuit, postquam e morbo convaluit, ad quem debellandum frigidam curationem adhibuit *Musa*.

(*b*) Hactenus *Musa*. Quæ hîc addita perleguntur, codicis fortasse alicujus, aut Exscriptorum vitio irrepserunt.

velpistii (*a*) in ultimo libello leges dynames herbarum, quas ut crescentibus numeris Lunæ observes dum tollis & componis curato. Si ita non feceris, & ad diminutionem Lunæ sustuleris, minus valebunt. Ipsum etiam mare per Lunam augeri & minui scimus, cerebra etiam hominum augentur crescente Luna. Cum autem minuitur Luna, unaquæque res deminutionem sentit, quod licet recognoscas ex iis quibus quotidie uteris. Tamen & per me admonitus scies omnibus & minui augmentum & augeri per Lunam. Quod si ita est, in herbis quoque legendis, componendisque medicamentis, vim ejus & potestatem nos observare debere, ne dubites.

(*a*) De hoc *Terentio Evelpisto*, qui de herbarum facultatibus egit, nullibi mentionem invenio. *Evelpistum* alterum Chirurgum memoravit *Celsus* (Lib. VII. præfat.) & *Scribonius Largus* (Composit. CCXV.).

VARIÆ

LECTIONES.

Pag. lin.

105. 4. LIBELLUM quem roganti tibi promisi.

6. salutis custodiæ.

... debebis ea diligentia intueri qua scriptus est.

7. ad curationem tui corporis

9. cum rerum effectu corpori celeriter connexui. Namque diligenti cura

106. 3. comprehensi

5. te interposito Cæsari nostro fecimus, quæ per te etiam æstimare poteris

7. Sapientis

8. consilium invenire consuevit

9. hominum vel pecudum aliorumque ex quatuor humoribus

11. Frigido continentur.

12. Calido continetur

13. inde est quod sentimus.

16. Per ossa vero & viscera venæ

18. spiritus autem aer est, ossa verius munita

107. 1. Sanguis quando abundat

2. Ex eo enim nascitur

Pag. lin.

107. 2. in vulneribus videmus: nascitur ex eo pituita

4. nascitur ex eo bilis etiam acida

6. enim ubi est, concitat calorem, pruritum: pruritus perfricationem. inde fiunt dolores intestinorum. oritur etiam inflatio, qua corpus extenditur ut rumpi videatur.

11. cruditate corrumpi, qui quando vagatur

12. infert vitia corpori

13. parte corporis incubuerit, vitiat, fatigat, & lædit.

14. Idem etiam animum vitiat, & inde os hominis incendit, incipitque exinde fœtere. At quando est integer

108. 2. fortiter sustinere. Quando abundat calor vel frigus, facit corporis languorem, vel malum generat odorem. Corpus enim hominis rationabiliter ex quatuor constat humoribus, sanguine scilicet, & phlegmate, & utraque cholera, quæ dominantur in suis locis. Sanguis virtus est circa cor. Cholera rubra in dextro latere in hepate, quod jecur vocamus. Cholera vero nigra in sinistro latere est in liene, qui græce splen dicitur. Phlegmatis autem alia pars in capite, alia in stomacho (a), alia in ve-

(a) Alii legunt *pulmone*.

Pag. lin.
108. 2. vesica est. Sanguis calidus est & humidus: cholera rubra, amara, viridis etiam, & sicca: cholera nigra acida, frigida est, & sicca: phlegma frigidum & humidum. Hæc omnia in suis temporibus crescunt: sanguis veris tempore, cholera rubra in æstate, cholera nigra in autumno, phlegma in hyeme. Isti humores dominantur sive per diem, sive per noctem. Sanguis dominatur ab hora noctis nona usque in horam diei tertiam, cholera rubra ab hora diei tertia usque in horam nonam: cholera nigra ab hora diei nona usque in horam noctis tertiam: phlegma ab hora noctis tertia usque in horam noctis nonam. Hi etiam habent respirationes per singulas partes corporis, sanguis per nares, cholera rubra per aures, cholera nigra per oculos, phlegma per os & nares. Hi quatuor humores, per quatuor etiam dominantur ætates: phlegma cum parte sanguinis in pueris dominatur usque in annum xiiij, & exinde cholera rubra cum parte sanguinis dominatur usque in annum xxxv. vel quadragesimum: deinde a trigesimo quinto vel quadragesimo anno magna pars sanguinis dominatur usque in suam ætatem cum nigra cholera. Tales etiam faciunt mores in unoquoque homine. Sanguis enim facit pueros moderatos, blandos, & formosos: cholera rubra facit acutos, ingeniosos, & leves, maci-

Pag. lin.

108. 2. cilentos, comedentes multum, & ventres solubiles: phlegma facit compositos corpore, invigilantes, & intra se cogitantes, & canos cito producentes: cholera nigra facit subdolos, avaros, perfidos, tristes, seditiosos, & timentes. Qui habent virtutem calidam, dominantur in superiori parte: qui vero frigidam, in inferiori. Hi quatuor humores pulsus suos habent: sanguis facit pulsum plenum & humidum: cholera nigra tardum & segnem, cholera rubra tenuiorem, asperum, percutientem: phlegma honestum, plenum & æqualem. Isti humores sine se esse non possunt, sed in omnibus habentur ætatibus: si unus ex his minuitur aut decrescit, longam facit ægritudinem: simili modo, si augmentari cœperit, & si imperitum medicum habuerit, qui non intelligat, ex quo humore fiat ægritudo. Scias autem chariſſime frater Mæcenas, quia si fuerit culpa sanguinis ægritudo, da ei frigida, & sicca, & amara: quia sanguis calidus & humidus, & dulcis est: si vero cholera rubra, da ei frigida, & humida, & dulcia: quia cholera rubra amara est, & ignea, & sicca: si cholera nigra, da ei calida, & humida, & dulcia: quia cholera nigra acida est, & frigida & sicca: si ex phlegmate facta est ægritudo, da ei assidue dulce, calidum, & siccum: quia phlegma frigidum, & humidum,

Pag. lin.

108. 2. dum, & salsum (*a*) est. Et quando hoc factum fuerit, perduces ad propriam sanitatem ægrotum (*b*).

7. Igitur ut facilius commodis fruamur

8. vitemus percurrentia vitia

10. cognitaque mortifera emendemus. Quatuor corporis partibus origo infirmitatis vel sanitatis ostenditur, capite, thorace, ventre, & vesica, quæ ita oportet cognosci.

15. Homines sani erunt, si urinam mane albam, ante prandium candidam, item ante cœnam roseam emiserint. Candida enim

109. 8. non est. Quod si mane mutaverit colorem

10. quod autem genus vitii, ita intelligemus.

12. Quando a capite morbus oritur, solet capiti dolor accidere, vel temporibus.

110. 3. lachrymantur

4. sentiunt. Ergo quando

... acciderit

6. coronæ burbulæ (*c*) fasciculum unum fervescere facias

Pag.

(*a*) Alii legunt *insipidum*.

(*b*) Hæc omnia nec *Musæ* nec Augusti tempora certissime redolent, neque doctrinis respondent, quibus epistola sese tantopere commendat.

(*c*) Alii legunt *barbuinæ*.

Pag. lin.

110\. 7. usque dum caput calidum habueris
8\. negligat eam, caveat epiphoras aut dentium
11\. etiam parotides nascuntur & vitia circa aures & cervicem oriri solent.
12\. 13. Interdum destillatio vulæ aut gravitas.
15\. Quando autem a thorace morbus oritur

111\. 2. mammillæ (*a*)
3\. oscitatio sequitur sine
4\. gravitas & prurigo corporis aut dolor
5\. manusque intumescunt, subitque
6\. arida.
8\. vitium, si vomuerit

112\. 1-2. Plus enim
2\. bilem projecerit.
3-4. vomere volunt & stomacho laborant
6\. die abstineant, omne vitium evitabunt.
8-9. si ex ventre morbus oritur, hæc sunt signa
9-10. uritur (*b*) & turbatur, & sentit dolorem, ut cibus & potus amara videantur;
11-12. Genua subsidunt
12\. inter scapulas contrahitur
13-14. particulariter gravescit. Tardantur pedes, graves sunt
15\. Et incurrunt febriculam.
17\. medicamentis satis est alvum purgare

Pag.

(*a*) Alii legunt *maxillæ*.
(*b*) Alii *vertitur*.

Pag.	lin.	
113.	3.	alterum diem in abstinentia
	5.	quam maxime levissimum sumant
	6-7.	ovo simile. Hæc
	7.	qui neglexerint
	8.	dysenterici, & nascuntur
	10-11.	in articulis accidere
	12.	quibus etiam solet sanguis a naso erumpere
	13.	Oportet autem custodire & emendare vitium.
	15.	In vesica qui nascitur morbus, hæc habet signa
	16.	videntur, & cito saturi sentiuntur. Frequenter sentiuntur inflationes ventris & strepitus
114.	2-3.	nec oscitant —— diducunt
	5.	macri corporis sit —— & vix erit (a).
	6.	etiam verenda
	8.	austero madefactum, vel etiam radices eorum conterens cum vini
	10-11.	calidæ, vel dauci semen & myrtæ pusillum tritum cum vini cyathis duobus & tantumdem aquæ calidæ, vel cicer album madefactum cum vino
115.	1.	radices asparagi vel orobum
	3.	in aqua vino mista & bibe
	4.	Sequitur & jecoris

Pag.

(a) *egeritur*.

Pag. lin.

115. 5-6. fiunt quoque calculosi, sequitur & stranguria, & venter tumescit.

7. vires, ut

9. ita & febris cruditate careat.

10. Sed etiam cataplasmata adhibenda sunt, quæ apta sint capiti, vesicæ

12. erit. Uti etiam oportet roseo aceto, oleo violato, & irino

13. & linguam asperam melle fricabis

15. 16. quia morbus acutus est.

17. Quoniam petenti tibi corporis sani & imbecillis per urinam notas dedi

20. & unde nascantur corpori vitia: & si nata fuerint, quæ emendatio ad sanitatem perducat.

116. 6-7. si sic feceris, oportet ut nihil vitii omnino accidat, perpetuaque sanitate utaris. Altera res salubris est potus, qui lenitudinem confirmat

11-12. per annos jam completos, amiciss. Mæcenas, quando me cum Cæsare nostro morari meministi (a).

14. in aliquo languore corporis decidisse: nec nostrum Augustum. Itaque me tecum habebis libellum meum legendo. Adjeci etiam quod plenius tibi consilium præstare poterit petenti, quod in ultimis leges dynamidiis. Sed expedit ut

Pag.

(a) Alii leg. *invenisti*.

Pag. lin.

117. 2. 3. Lunam observes quando tollere, & quando ponere velis curationem

5. minus valere scire te oportet

6-7. cerebrum etiam & corpora hominum

8. unaquæque earum rerum

9. 10. ex his hostiis, quæ quotidie immolantur, in quibus vides omnibus augeri & minui cerebrum per Lunam, ita quoque in herbis & componendis medicamentis. Sane etiam totius anni dies tibi scripsi, per quos scias, quibus rebus uti debeas aut abstinere.

ANTONII MUSÆ

COMPOSITIONES MEDICÆ.

ANTONII MUSÆ

COMPOSITIONES MEDICÆ.

I.

Ad abscessus (aurium) in profundo (a) .

CROCI drach. ij, myrrhæ drach. ij, bdellii drach. iiij, nucum amararum drach. viij, succi marrubii heminæ (*b*) dimidium, passi protropi (*c*) heminæ dimidium. Liquores coquito, & admixtis reliquis excipito. Utere in passo, dissolvens quantum sufficit.

II.

(*a*) Apud Galen. *de compos. pharmac. sec. loc.* Lib. III. cap. 1.

(*b*) Quæ mensuræ species *heminæ* nomine Veteribus audiat vide apud *Rhodium* in *adnot.* ad *Scribon. Larg. Compos.* XVI. pag. 54. *Compos.* LXXXIII. pag. 149.

(*c*) Vinum *passum* ex uvis passis expressis fieri auctor est inter cæteros *Dioscorides*, & *Ludovicus Septalius* in *Aristot. Probl.* XXVI. *Sect.* 23. *Protropum* autem est apud *Plinium* (Lib. XIV. cap. 9.) mustum sponte defluens antequam calcentur uvæ. Vide & *Rhod.* adnot. ad *Compos.* Largi LXXIV. pag. 136.

i 2

II.

Alia ad idem (*a*).

Croci, myrrhæ, castorii, centaureæ, singulorum drach. ij, spumæ nitri drach. j, amygdalarum amararum depuratarum drach. viij, succi helxines sesquisextarium, passi protropi sesquisextarium (*b*). Componito ac utitor ut dictum est.

III.

Ad narium polypos (*c*).

Atramenti sutorii partem unam, sandarachæ partem unam; trita insuffla.

IV.

Exacuens visum, faciens & ad glaucedinem (*d*).

Fellis perdicis sylvestris partem unam, in alio exemplari succi herbæ perdicii, aliqui succi centaureæ partes iij; mellis attici tantundem.

V.

(*a*) Ibid. apud *Galen.*

(*b*) Quid *sextarius* Veteribus fuerit vide in adnot. *Rhod.* loc. cit. *Composit.* CXXVII. pag. 201.

(*c*) *Galen.* loc. cit. Lib. III. cap. 3.

(*d*) Ibid. Lib. IV. cap. 7.

V.

Alia ad idem (a).

Fellis gallinæ veteris partem unam, succi centaureæ partem unam, mellis attici partes tres. Facit ad glaucedines.

VI.

Ad suffusiones (b).

Fellis hyænæ (c) drach. unam, fellis ursi drach. ij, opobalsami drach. ij, salis fossilis drach. unam, croci drach. unam, myrrhæ drach. unam, mellis attici cyathos duos, succi fœniculi cyathos ij.

VII.

Ad pilos pungentes in palpebris enascentes, trichiasim appellant Græci (d).

Fel aviculæ, quæ cinædus (e) appellatur, & aconiti dimidium ejus, mixta reponito. Usu vero exigente, evulso pilo locum ex pharmaco illinito.

VIII.

(a) Ibid.

(b) Ibid.

(c) Hanc substantiam laudavit *Plinius* ad caligines & suffusiones Lib. XXVIII. cap. 8. Vide etiam Scribon. Larg. *Compos.* XXXVIII. tum & *Rhodium* in *adnotat.*

(d) Ibid.

(e) Avem hanc, quam *Buffonius* describit sub nomine

 Sit-

VIII.

Alia ad idem (a).

Fel piscis phagri, & aconiti dimidium, cum squama ferri lota, adipe subjicito: atque his amygdalini olei parum adjicito, & sanguinis vespertilionis quantum suffecerit. Deinde mixtis & repositis utitor ut dictum est.

IX.

Ad parvos instar hordei oblongos circa pilos palpebrarum abscessus, crithas, & posthias Græci appellant (b).

Galbani partem unam cum exiguo nitro mixtam imponito.

X.

Sittelle (*Hist. naturel. des oiseaux* Tom. X. in 12. pag. 194.) *Linnæus* autem vocat *Sittam rectricibus nigris* (*Syst. natur.*), Itali appellant *raparino*, Bononienses autem *smaltarolo*, ex eo quia repit per arbora, & amplum niduli foramen creta obturat. Cum insectis ipsa vescatur, & pingui terra tum & stercore plurimum delectetur, motu autem perenni incedat agilique, nil est demirandum, *Antonium Musam* ejus fele in trichiasi usum fuisse. Felici sane eventu avem hanc semel vidi; raro enim a Patavinis Villicis eam reperiri nuntiatum est. Ejus abdomine dissecto, stomachum & intestina amarâ bile redundare animadverti. Cæterum corporis habitus descriptioni respondet, quam publici juris fecit *Buffonius*, longitudine excepta, siquidem longa erat poll. 5, lin. 4; rostrum autem lin. 8.

(a) Ibid.

(b) Ibid.

X.

Alia ad idem (a).

Ceram, & misyos crudi parum admisceto. Faciunt & ficus aridæ in vino mulso coctæ & tritæ, exiguo simul galbano contrito. Facit & farina hordeacea in vino mulso cocta ac trita, itidem exiguo galbano simul contrito.

XI.

Ad Aphtas (b).

Fructus myricæ drachmas sex, aluminis scissi drachmas duas, oleo excepto admove.

XII.

Alia maxime in Pueris (c).

Rhoen rubrum tritum melle mixtum illinc. Aut adi-

(a) Ibid.

(b) Ibid. Lib. VI. cap. 4.

(c) Postquam *Galenus* (ibid.) duas hasce *Musæ* compositiones retulit, addit: *hæc cum scripserit Crito* &c. ex quo fortasse opinari quis posset eas *Critoni* potius quam *Musæ* deberi. Verum, si quid video, *Musæ* & Asclepiadarum compositiones collegit insimul *Crito*, ut & Asclepiadæ ipsi, & alii ejus ætatis Magistri, qui suis alienas compositiones interponebant.

adipem suillum, & mel liquefacta. Præbeto eis etiam gargarissando lac asininum. Quod si multa saliva feratur, gallam & solanum aceto diluta gargarissare facito: aut violas albas siccas cum melle tritas illinito.

XIII.

Ad vocem interceptam (*a*).

Brassicæ viridis cauliculos depuratos manducandos præbe, & quod instar palearum exsuccum est, expuere jube, succum vero deglutire.

XIV.

Alia ad idem.

Brassicæ succum cum melle coctum delingendum exhibe: auxiliatur confestim.

XV.

Alia ad idem.

Succi eryngii in aqua cocti heminas duas excipito,

(*a*) Tres quæ sequuntur compositiones acceptas nos referre *Asclepiadi* cuidam debemus, teste *Galeno* (*de Compos. pharmac. sec. loc.* Lib. VII. cap. 2.), qui eas in secundo libro internorum *quæ Mnasoni inscribit* memoravit. *Asclepiadem* hunc post *Musam* vixisse necesse est, & unus fortasse ex iis, de quibus *Galenus* ipse Lib. VI. cap. 4. loquutus est.

to, & succi ficuum in aqua coctarum tantundem, his adde gummi subtilissime dissoluti drach. viij: incoquito diligenter ad arteriacæ spissitudinem, & inde cubitum ituris ad cyathi mensuram delingendum præbe.

XVI.

Dolorem sedans. Facit ad destillationem, & vocem interceptam (*a*).

Opii, myrrhæ, seminis hyoscyami, singulorum drach. duas; singula in cicutæ decocto macerato ac diligenter terito, & ex mixtis catapotia (*b*) ervi magnitudine formato, & duo ex ipsis ante somnum dato.

XVII.

Alia facit ad hæmoptoicos (*c*).

Seminis hyoscyami albi drach. octo, nardi indicæ drach. sex, croci drach. quatuor, opii, amyli, anisi, singulorum drach. duas: rubricæ lemniæ drach. u-

(*a*) *De Compos. pharm. sec. loc.* Lib. VII. cap. 2.

(*b*) Quid *Catapotium* vide in *Rhod.* ad *Composit.* Largi LXXXVII. pag. 152. Uti vero *Scribonius* Globulos quandoque dixit, alias vero Catapotia; ita & *Antonius* hîc *catapotia* ervi magnitudine scripsit; in aliis autem *Composit.* nucis tantum aut ervi magnitudinem designavit.

(*c*) Ibid.

i 5

unam, cum aqua catapotia ervi magnitudine formato, ac utitor uti dictum est.

XVIII.

Alia delingibilis ad tusses extremas & inveteratas (a).

Vini Falerni sextarium unum, mellis attici libram unam, coquito assidue agitando, cum ramulis rutæ: dato inde mystrum. Facit & ad stomachicos.

XIX.

Confectio Proxeni ad tusses inveteratas, & valde diu durantes humectas affectiones, appellatur symphonos, & lexopyretos, idest optime sedans febrem. Hac usus est Antonius Musa (b).

Piperis albi, opii, cardamomi, singulorum drachmas octo: croci, sulphuris vivi, myrrhæ, seminis hyoscyami albi, singulorum drachmas quatuor: mellis cocti sexuncem. Datur nucis ponticæ magnitudine cum aquæ mulsæ cyathis tribus.

(a) Ibid.
(b) Ibid.

XX.

Antonii Musæ panacea. Usus est ea Diotas jatraliptes. Facit ad eos, qui per circuitum a rigore infestantur, delet febres antiquas, ac reliquos morbos. Facit ad tussim veterem, phthisicos, sanguinem rejectantes, suppuratos, dyspnoicos, convulsa, rupta, inveteratas inflammationes, splenicos, hydropicos inveteratos, cœliacos. Extrahit lapides e renibus. Probe cit urinam. Prodest omnium reptilium plagæ, & ad lethalia venena, & ad omnem materiam venenosam ac corruptoriam vim habentem (a).

Piperis albi aut longi drach. viij, seminis hyoscyami albi, cinnamomi, cardamomi, myrrhæ, thuris, singulorum drach. xij: opii, croci, utriusque drach. x: sulphuris vivi drach. vj: costi, aristolochiæ longæ, corticis mandragoræ, aut ipsorum malorum vel foliorum, euphorbii, singulorum drach. iij. mellis attici cocti quod satis est. Datur iis qui per circuitum infestantur, magnitudine nucis ponticæ, reliquis pro viribus.

(a) Ibid. Lib. VII. cap. 5.

XXI.

Eclegma ad dyspnoicos (a).

Asellorum sub hydriis nascentium sextarium unum in vas fictile conjicito, & ad prunas torreto: inalbatos autem terito, ac melle cocto excipito: & ante cibum mystrum delingendum dato.

XXII.

Alia ad idem (b).

Scyllæ crudæ succum exprimito, eique parum mellis attici mensuram addito, & ad prunas admota coquito. Dato inde ante & post cibum mystri mensuram.

XXIII.

Confectio hepatica (c).

Succi cichorii cyathum unum cum aquæ calidæ cyathis tribus dato, mellis attici cochleario addito. Aut filicis vel anethi succi cyathum unum cum aquæ

(a) Ibid. Lib. VIII. cap. 6.

(b) Ibid.

(c) Ibid. Lib. VIII. cap. 8. Hanc quoque præparationem ab *Asclepiade* accepit *Galenus*. Vide quæ adnotavimus *ad Composit. XIII.*

quæ mulsæ cyathis tribus dato. Aut picridis recentis, aut seridis recentis succi cyathum unum cum aquæ mulsæ calidæ cyathis tribus.

XXIV.

Ad hydropicos (*a*).

„ Musa vero cataplasma ad ipsos præparavit ex elaterio, staphide sylvestri, hyssopo, felle tauri, æqualibus partibus ipsorum ficubus contusis exceptis.

XXV.

Nephritica (*b*).

Fructuum pini, qui pityides vocantur, tusorum, & cribratorum drach. xx: seminis papaveris albi, tragacanthæ, utriusque drach. ij, nardi celticæ, croci, anisi decorticati, radicis dauci cretici, singulorum drach. j: costi obol. iij: præpara cum protropo, & repone in pyxide. Da nucis ponticæ magnitudinem cum protropi cyatho uno, & aquæ calidæ cyathis duobus.

(*a*) Ibid. Lib. IX. cap. 3.
(*b*) Ibid. Lib. X. cap. 1.

XXVI.

Nephritica (*a*).

Seminis cucumeris sativi tosti drach. iij, seminis malvæ drach. v, nucum pinearum drach. vj, seminis apii drach. vij, seminis lini drach. unam, amygdalarum amararum mundatarum drach. jx: excipe passo, & exhibe ut prædictum est.

XXVII.

Alia (*b*).

Aluminis scissi, aloes, myrrhæ, chalcanthi, singulorum pondo denarîum sex: croci, crocomagmatis, singulorum pondo denarîum trium, cytinorum pon-

(*a*) Ibid.

(*b*) *De Compos. medic. per genera* Lib. V. cap. 12. Extat quoque hæc compositio apud Oribasium (*Synops. ad Eustach.* lib. III. *de pastillis*) hac de ratione conscripta. *Musæ. Aluminis scissilis, aloes, myrrhæ, singulorum drach. sex, croci, crocomagmatis, æris combusti, atramenti sutorii, capitulorum Punici mali, singulorum drach. sex vino mulso excipe.* Legitur quoque apud Marcellum (*de medicamentis* Cap. VIII. pag. 98.) *Descriptio Musæ collyrii, aluminis schisti* ℈ *xviij, aloes* ℈ *xviij, myrrhæ* ℈ *xviij., croci* ℈ *jx, crocomagmatis* ℈ *jx, chalcanthi* ℈ *xviij, mali granati caliculorum semunciam, quæ trita diligenter œnomelite confundes & colliges & formabis.*

pondo denarîum iiij: mulsa ex falerno facto excipiuntur.

XXVIII.

Alia (a). An ejusdem varietas?

Pastillus Musæ: aluminis scissilis, aloes, myrrhæ, atramenti sutorii, singulorum drach. duæ, thuris drach. octo, capitulorum punici mali drach. decem, gallarum immaturatarum drach. octo, passi quantum satis est.

XXIX.

Medicamentum siccum ad stomachi inflationem, & dolorem & inediam: movet urinam: ideoque facit & ad hydropicos, & jecur durum habentes, auriginem, quam quidam regium, quidam arquatum morbum vocant. Refertur in Musam Antonium. Recipit autem hæc (b):

Aloes P. assis trientem, croci, cinnami, nardi, syriacæ spicæ, asari, xylobalsami, masticheṡ Chiæ, singulorum P. vj. Tunditur & vitro reponitur. Dantur cochlearia duo vel tria ex aquæ cyathis tribus.

XXX.

(a) Oribas. *de loc. affect. curand.* Lib. IV. cap. 127.

(b) Inter Scribonii Larg. *Compos. medicas*. Compos. CX. Cap. XXV. pag. 66. Apud Marcellum (*de medicamentis* Cap. XX.) legitur *aloes denarios* v., tum *singulorum denarios senos*.

XXX.

Ad dysentericos (a).

Aluminis, aloes, myrrhæ, atramenti sutorii, singulorum sexuncia, maliconii, crocomagmatis, singulorum drach. vj. excipe vino.

XXXI.

Antidotus Musæ, prodest quartanis data ante accessionem ex vino nucis avellanæ quantitate (b).

Capit Cyperi drach. unam gr. xvij, thuris, mastiches, myrrhæ, gentianæ, hyosciami singul. drach. vj, opii, croci, sing. drach. iiij. minus granis vij. Euphorbii, aristolochiæ longæ sing. drach. j. scrupul. j, mandragoræ drach. j. scrup. j, mellis attici aut sacchari, quod satis est.

(a) Paul. Ægineta *de re medica* Lib. VII. Cap. XII.

(b) Ex Nicol. Myreps. *dispensator. medic.* Sect. I. Antid. CLXXXIII. Legitur hæc compositio & in *Antidot.* Nicol. Ven. apud Junctas 1570. cum Mesue aliorumque operibus edito, & in eam M. Platerii Gloss. ubi Musæ ennea compositio vocatur.

XXXII.

Antidotus Musæ conferens mirifice hydropicis, jecinorosis, nephriticis, difficultate urinæ laborantibus, ischiadicis, rigore correptis, quartanis & articulorum dolore laborantibus. Recipit :

Piperis drach. xvj. scrup. I. croci, hyoscyami singulor. hexag. duo (*a*), thuris masculi, gentianæ, aristolochiæ rotundæ, euphorbii singulor. hexag. unum. Terantur & cribrentur simul. Opium cum melle solve, & da febricitantibus cum hydromelite. Si volueris adjice myrrhæ drach. unam minus granis quatuor. Paratam repone in vase. Detur ex ea hexagium unum (*b*).

XXXIII.

Ad vesicæ morbos vitandos (c).

Fœniculum & apium vino austero madefacito, vel etiam earum herbarum radices contere, & ex vini cyathis duobus, & tantundem aquæ calidæ accipe adsidue; vel dauci semen, & myrtum ex aqua calida sume; vel cicer album sume non arietinum, ma-

(*a*) Quid sit *hexagium* vide in *Lexico medico* Castelli.

(*b*) Ex Nicol. Myreps. *Dispensat.* De antidot. Sect. I. cap. 292.

(*c*) In opusculo *de tuend. valet. ad Mæcen.*

madefactum vino, ut supra, ebibe; vel radicem asparagi vel ervum erraticum, vel serpillum decoque, ejusque aquam vino mixtam bibe.

Hæ sunt compositiones, quas mihi colligere datum fuit. Quod si eas cum cæteris Veterum medicaminibus comparemus, neque rerum copia, neque earum nimia varietate confartas perspiciet unusquisque; ita ut *Musam Antonium* simpliciori fortasse medicina usum fuisse jure conjectari possimus, quam cæteri ejus ætatis Magistri. De qua simpliciori medendi methodo, ut supra innuimus, certiores procul dubio fuissemus, si omnia, quæ tantus Vir aut de morbosis humani corporis affectionibus curandis, aut de medicaminibus rite componendis protulit, temporis edacitati superfuissent.

IN-

INDEX.

ANTONII MVSAE QVAE SVPERSVNT

EXEMPLARIBVS ADMODVM DVODECIM

IN TYPOGRAPHIA REMONDINIANA

CHARTA HVIVSMODI PRODEVNT

QVAE SCRIPTORVM INANIVM IMPRESSIONE

OLIM FOEDATA

CLARI IOSEPHI MALACARNII EX AQVIS STATIELLIS

FELICI PERICVLO

IN OFFICINA REMONDINIANA AD OLERIVM

DENVO EST CONTVNSA

ET AD BONORVM LIBRORVM IMPRESSIONEM

COMPARATA

ANNO MDCCC.

AVCTORIBVS LIBRORVM INEPTIS

MONIMENTVM PERPETVVM ESTO

Exemplaria duodecim sunt his adsignata

THOMAE OBICIO *Marchioni Orciani*, ob veterum monumentorum peritiam, musei domestici amplificationem, litterarumque omnium patrocinium, magna & præclara laude florenti.

FLORIANO CALDANIO *Bononiensi*, philosophiæ ac rei medicæ apprime gnaro, humanioribus quoque litteris exculto.

IOANNI LAZARAE *Patavino Comiti*, *Equiti Hierosolymitano*, litterarum fautori, artium elegantiorum vindici.

ANTONIO BORROMEIO *Patavino Comiti*, litteris præsertim Italicis instructissimo, fabularum ea lingua facete scriptarum collectione admodum claro.

ANTONIO BARTOLINIO *Utinensi Comiti*, *Equiti Commendatario Hierosolymitano*, typographia antiqua Foroiuliensi illustrata, laudem singularem assecuto.

PHILIPPO FLORIO *Utinensi Comiti*, eruditionis maiorum suorum æmulo, bibliothecæ domesticæ amplificatori solerti.

IACOBO MORELLIO *Veneto*, *Bibliothecæ Regiæ D. Marci custodiendæ Præfecto*, multiplicis eruditionis caussa, in Republica litteraria universa clarissimo.

VINCENTIO MALACARNIO *Salutiensi*, in Gymnasio Patavino Chirurgiæ Professori eximio, Historiæ litterariæ bene perito.

CLARO IOSEPHO MALACARNIO *Vincentii F. ex Aquis Statiellis*, Physicæ disciplinæ admodum docto, ob præstantiam in experientia Chemiæ laudem egregiam adepto.

HIERONYMO MANTUANIO *Veneto*, ingenii elegantia & iudicii subtilitate in libris eximiæ bonitatis sibi comparandis præstanti, in amicos officiosissimo.

IOSEPHO REMONDINIO *Bassanensi Comiti*, domi typographia instaurata & bibliotheca libris exquisitissimis instructa, de suis, de patria, de litterarum cultoribus benemerenti.

BARTHOLOMÆO GAMBAE *Bassanensi*, disciplinæ Remondinianæ alumno, typographiæ præsidi, editionis curatori, studio bonarum artium impense affecto.